UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Papirii Massoni Descriptio Flvminvm Galliae, Qva Francia Est

Masson, Jean Papire

Parisiis, 1678

urn:nbn:de:hbz:466:1-13059

Visual Library

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

XII
32
Th. 6070.
R

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ex legato Cel.mi Principis Ferdin.
Episc. Paderb. et Monasterij.
Anno 1683.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

PAPIRII MASSONI DESCRIPTIO FLVMINVM GALLIÆ, QVA FRANCIA EST.

Collegij Soc. Iesu Paderb.

Liber rarus
F.

PARISIIS,
Apud LVDOVICVM BILLAINE.

M. DC. LXXVIII.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

LVDOVICO XIII. Franciæ & Navarræ Regi Christianissimo.

MULTORVM *annorum labores Papirii Massoni quondam fratris mei Majestati tuæ supplex offero*, Rex Christianissime; *Descriptionem scilicet Regiorum Galliæ Fluminum, quæ tamquam venæ in hominis corpore regnum tuum irrigant, fertilissimumque ac ditissimum reddunt. Quemadmodum enim Reges privatis hominibus & subditis suis eminent: sic illa Franciæ flumina quæ in hoc libro describuntur, cæteris omnibus antecellunt. In ea etiam descriptione res quamplurimæ ad antiquitatem & historiam pertinentes referun-*

tur ab Auctore, qui inter alios regni subditos, de natali tuo plurimùm gaudens, Deóque immortales laudes agens, eum memoriæ mandaverat, tibique adhuc infanti Historiam Cæsarum ex xvj. Poëtis inscripserat, ac postea sacri baptismatis tui diem solemnem annotaverat. Eo igitur jam vitæ functo, hoc postremum ipsius opusculum sub sacris tuæ Majestatis auspiciis in lucem emittit, tibique gratum & acceptum fore sperat,

MAIESTATIS TVÆ,

Eleemosynarius, & apud Deum Opt. Max. Deprecator assiduus
Jo. BAPT. MASSONVS.

REGVLÆ GENERALES de Fluviis.

ALIQVOT generales regulas huic Operi necessarias initio inserere placet, ne legentium oculi fallantur.

I.

Fluvii Regales ii soli dicuntur, qui nomen suum nunquam mutant, nec aliis permiscentur; sed mare rectà petunt, sive Oceanum, sive Mediterraneum.

II.

Constat Galliam abundare fluminibus, quia cœlo humido vtitur, & ne nostris quidem imbribus caret. Seneca Philosophus 3. Natural. quæst.

III.

Fluvius, qui nec majorem aquarum copiam trahit, neque minorem quàm opus sit ferendis mercimoniis, in optimo statu esse existimatur, cumque nec minus nec plus aquæ habet quàm expedit, videtur mercatoribus satis placere.

IV.

Minorum amnium vocabula major amnis absorbet. Cassiodorus lib. x. Variarum.

V.

Carolus Magnus à Theodulpho Aurelianensi Episcopo dicitur imperasse fluminibus quæ sequuntur.

Cui parent Wallis, Rhodanus,
Mosa, Rhenus, & Anas,
Sequana, Wisargis, Warda, Garumna, Padus.
Rura, Mosella, Liger, Wlturnus,
Matrona, Lædus,
Hister, Atax, Gabalus, Olitis,
Albis, Arar.

Et paucis interpositis, addit, de vrbibus loquens.

Quas Arar, & Warda, Rhodanus quas abluit acer,
Ælauris, sive his connumerandus Atax.

VI.

Omnia autem Galliæ flumina aut in alia fluunt, aut in mare Oceanum, aut in Mediterraneum labuntur. Et præclarè Plautus in Pœnulo, Actu 3. ait,

Viam qui nescit quâ deveniat in-
mare,
Eum oportet amnem quærere co-
mitem sibi.

VII.

Sidonius epistolâ 5. lib. 1. ad Heronium scripta, post abeundi facultatem ab amicis, qui Rhodanisiæ, id est Lugduni erant, & qui itum reditumque felicem certantibus votis ab Italia comprecabantur, adjicit: Sic Alpium jugis appropinquatum, quarum mihi citus & facilis ascensus, & inter vtrinque torrentis latera prærupti cavatis in callem nivibus itinera mollita. Fluviorum quoque, si qui non navigabiles, vada commoda, vel certè pervii pontes, quos antiquitas à fundamentis ad vsque aggerem calcabili silice constratum cripticis arcubus fornicavit. *Hæc de pontibus præfati, addimus & hunc Cæsaris locum ex Lib. 5.* Galli, *inquit*, vitandi æstus causâ, plerumque silvarum ac fluvium petunt propinquitates, ac domicilia sua sylva circumdari cupiunt.

LECTORI.

SCias, Lector, hæc verba, *Papirii Massoni descriptio Franciæ per Flumina*, quæ in singularum hujus libri paginarum superscriptione reperiuntur, à Typographo inconsultè apposita fuisse.

DESCRIPTIO

DESCRIPTIO FLVMINVM GALLIÆ, QVA FRANCIA EST.

FLumina Galliæ, qua FRANCIA eſt, non quidem omnia, ſed quatuor duntaxat, alumni eius Regia appellant, Ligerim, Sequanam, Rhodanum, & Garumnam: quæ flumina in finibus Regni oriuntur, dempto primo, & ſunt nauigabilia, maximáſque & incolis & externis vtilitates commodáque afferunt. Idcirco autem Regia vocant, quia ſi comparentur cum aliis quæ in hoc regno penè ſunt innumera, regij nominis & dignitatis eſſe iudicabuntur. Vt enim Reges priuatis hominibus & ſubditis ſuis eminent, ita hæc quatuor flumina cæteris omnibus antecellunt, ac labuntur in Oceanum, Liger, Garum-

na, & Sequana, ſolus ex his Rhodanus in Mediterraneum mare fundit: Id quidem à meridie Galliam claudit, Oceanus à Septentrionibus, & Solis occaſu.

LIGER.

LOYRE Riuiere.

LIgeris clari amnis, vt Plinius in naturali Hiſtoria vocat, longior eſt curſus quàm omniũ fluuiorum Europæ, ſi Danubium exceperis. In Vellaunis autẽ, Aquitaniæ primæ populis, oritur: quæ regio nũc Vellania dicitur, vltra tres montes Heluiis contigua, *Meſincum*, *Alambram*, *Clergeacium*, qui ſunt intra fines Vellaunorum gentis. Eorum altitudine tegitur *Gerbarium Iugum*, à poſtremo non amplius diſtans, quàm mille paſſibus. Pone enim eſt inſtar mergitis figuratum, ferméque nudatum herbis: propterea aſpectu longè deformius. Sola enim ſaxa & rupes ferè oſtendit, & ab *Auicio* Vellaunorum præclara vrbe diſſitum eſt leucis ſex longioribus: ſingulæ enim excurrunt in quatuor paſſuum millia. Inde or-

Vellay.

Meſinc. *Lambre.* *Clergeac.* *Gerbier de Iong.*

LEPVY.

tus per mediam Galliam planicie & bonitate agrorum fœlix, longissimo cursu in Armoricum Oceanum seu Britannicum euoluitur. Hoc enim prę cæteris fluminibus gloriari potest longiùs se fluere, nauigarique, & velis aduersum impelli ab ostio vsque *Rodumnam*, vt nunc loquimur, proximum SEGVSIANIS portum tota Europa celebrem: qui Segusiani, nunc Forenses particulatim à FORO oppido ad Ligerim dicti sunt. Certum autem est eum existimari præcipuum Galliæ fluuium, quod centum sexaginta leucas nauigationis habeat, cùm cæteri amnes vix dimidium tanti spatij obtineant. Accedit alia quoque ratio, quòd Galliam ipsam diuidit in duas partes penè æquales: quæ laus illi soli debetur. Rodumnenses quidam nauicularij, seu Rodunenses nauigationem Ligeris Aureliam vsque septuaginta leucis metiri solent. Igitur è Gerbarij iugi radicibus velut è fonte manans, statim pratum, cui *Ligerulo* nomen, irrigat vicinium parrochiæ diuæ Eulaliæ, progreditúrque ab oriente sole versus meridiem: mox in septen-

LIGER.

Roanne.

Feurs.

Loyret.

LIGER. triones, postremò in occidentē fluit. Vna tantùm leuca à fonte ipso abest

Riotier. *Eulalia*, læuæ rippæ apposita: *Reotortium* verò tribus, vbi primùm lapideo ponte exiguo iungitur. Nobilis Amberij domina, nupta Caponi Florentino iuueni, cùm Ligerim se nascentem super argenteo ponte traiecisse narraret, auditores in se citò conuertit: tunc illa, quòd negarent vllum ibi pontem esse, lepidè iocum interpretata est, vt supposito vni pedum argenteo poculo se traiecisse diceret sicut fecerat. Ligeris fons surgit inter Mesincum & Stabula, appellatúrque Latinè vt diximus, Gallicè *Loyre*, Velaunicè *Leyry*. Ab illo fonte vsque *Auicium* spatium est leucarum quatuor terrestri itinere, decem

Godet. aqua. Inde *Godetium* petit, vbi traiicitur lapideo fornice siue arcu, cui turris superposita cernitur: & non

Colence. multo spatio interiecto, aquis *Colentiæ* riui etiam augetur: mox apud

Briue & Villeneufue. *Briuam* & *Villamnouā* duos ligneos pontes habet. Duobus enim passuum millibus ab Auicio, matre vrbium Vellaunicarum in colle Auici sita, ab eoque nomen accipiente, & monti-

bus vndique altissimis circumdata, fluit. Cis eam verò duo riui fluunt, *Olizo* & *Borna*, qui in Ligerim decurrunt, & ab ostio eius Sulmo marinus piscis delicatissimus contempta Oceani Britannici salsugine ascendit, dulci aqua illectus; magnoque numero quotannis in Bornam, & propius fontem inuehitur. Borna duabus leucis ab Auicio surgit, & tamen ad Aruernos pertinet. Is riuus prope muros Auicij ipsius fluit, & paruus Olizo excipitur à Borna iuxta eandem vrbem.

LIGER. *D'Olizon & Borne riuieres*

Fluuius Liger decurrit ab Auicio, id est prope illam vrbem vna leuca Francica, & lapideo ponte transitur sex leucis ab ortu, vt Petrus Vialius nepos ex sorore ex Auicio mihi Lutetiam rescripsit. Duabus leucis ab Auicio distat *Volta* non ignobile castellum in aduersa fluminis ripa positum, quæ secundo amne læua est. In eadem sinistra ripa *Bassa* oppidulum visitur, sed transito amne, Regio HELVIORVM statim occurrit, qui Viuariensis nunc appellantur à loco Episcopij, quod apud ALBAM vrbem Sidonio & veteribus celebrem

Loyre. *La Voulte.* *Bas.* *Viuarais.*

LIGER. ante euersionem eius olim fuit, non apud *Albenastrum* oppidum, vt quidam ineptè putant, tametsi *Monasterioli* opiduli templum, collegium Flaminum seu Canonicorum ab Anicij Episcopatu dependens cùm sit in finibus Heluiorum, Vellaunis attribui notissimum sit.

Monistrol.

Foresiens.

Segusiani autem seu *Forenses* sequuntur in eadem ripa contigui Vellaunis. In his occurrit Diui *Ragneberti* genere Sabaudi pingue Monasterium ordinis Benedictini, quod parum quidem abest à ripa fluminis in quo pontem lapideum maiores fieri curarunt. Isque constitutus est in gratiam LVCDVNI Coloniæ Romanæ à Lucio Numatio Planco olim deductæ, & mercatorum à Tholosatibus vicinioribúsque & remotioribus populis eò commeantium. Plinij testimonium de Segusianis planum est, cùm ait libro quarto naturalis historiæ, *Segusiani liberi, in quorum agro Colonia Lucdunum*, quos Cæsar ipse clientes Heduorum esse dicit his verbis, *Imperant Heduis & eorum clientibus Segusianis*, libro septimo de bello Gallico. Sequitur Forẽsium aliud

Le pont de S. Rambert.

Lyon.

oppidum *Furania*, quod à templo loci Diui Stephani nomen etiam accepit in radicibus montis à Barbara martyre virginéque dicti. Iuxta id oppidum assurgunt tres alij montes, in quibus perpetuò æstuantes flammæ conspiciuntur, vnus eorum *Mina*, alter *Viala*, tertius *Buta* appellatur. In iis naturalis & lapidei carbonis fodinæ sunt, tàm commodæ, vt eo pro lignis aut carbonibus ex eo factis singuli oppidani in foeis suis atque tabernis quotidie vtantur. Ignis ille vehementior ardentiorque eo, qui è lignofit, deprehenditur. Ex quo carbone artifices calcem optimam faciunt. Habent ijdem opidani lapidicinas, vnde lapis exscinditur colore cinericio, quo tota regio importato velut ornamẽto & decore ædificiorũ vtitur. Quin anno millesimo sexcentesimo quinto excisus est lapis altitudinis stupendæ, prorsusque inusitatæ; vnde solertiâ artificum, egregia crux in insula, cui *Pratum fori & nundinarum* nomen est, extra murum posita erectaque aspicitur, è regione præcipuæ portæ opidi illius, tota Europa celebris ob artificum indu-

LIGER.

S. Estiẽne de Furan.

Mine, Viale & Bute.

LIGER. ſtriam, copiamque, qui ferream ſupellectilem, & arma, bellicaque inſtrumenta cudendo fabricant in tabernis & officinis ſuis, quas Vulcaneas dicere & affimare licet, ac nefaſtis diebus vultus, pectora, manuſque eorum tanta nigredo ex ferro & carbone contracta inficit, vt non Forenſes, ſed Afri & Æthiopes potius appellari poſſe videantur, ſeptingenti ad minimum artifices ſunt incolę loci illius ſiti in extrema planicie regionis latæ leucas tres, longę circiter decem. Cæterum remedium malo huic eſt in promptu & facillimum, ſcilicet aqua *Chanaualetis* modici amnis, ſed admodum rapidi, & tamen auriferi; arenas enim habet permixtas granis aureis, ex auro, inquam puro, putóque: Aqua vero eiuſdem amnis induſia & lineam ſuperlectilem ne adhibito quidem ſapone, vt fieri aſſolet, mundiciſſimam facit. Qui tandem nactus ripam Ligeris, quæ Forenſium etiam eſt, eo excipitur, cùm oriatur prope *Rupemſciſſam* caſtellum, & *Vallem Benedictam*. Diodorus Siculus eximius ſcriptor ait, *Galliam omnem ſine argento eſſe, ſed aurum ei datum à*

La plaine de Foreſt.

Chenenualet. riuiere.

Rochetaillée, & Vaubaniſte.

natura sine arte & sine labore, propter arenas mixtas auro, quas flumina extra ripas diffluentia montesque longo circuitu per montes eijciunt in finitimos agros, quas sciunt lauare & fundere, vnde homines & fœminæ, inquit, *solent sibi annulos, zonas, & armillas conficere.* LIGER.

Reuertor ad læuam, in quam *Vesesia* amnis postea influit, qui *Brisonis* municipij partem inferiorem in planitie sitam interluit. Nam altera in monte edito posita est, vnde nomen accepit regiæ iurisdictionis, Prætorium. Municipium enim ipsum integrum *Montembrisonis* incolę vocant, exitusque Vesesiæ est è regione castelli nobilis à monte rotundo, dicti, sitique in diuersa ripa fluminis. Propè quam etiam est FORVM oppidum, vnde nomen regioni Forensium, qui olim Segusiani erant. Petrus venerabilis Cluniacensium Abbas totam regionem Forensium in diœcesi Lucdunensi sitam, *pagum Forensem* appellat. Forinates alij malunt dicere, quod Aruerni, ipsis vicini faciunt. Inscriptio vetus Fori in muro templi vitur, & in lapide subnigro literis ci-

Vesise, riuiere.

Bailliage de Forest.

MONTBRISON.

Feurs.

Loyre.

LIGER. nerei penè coloris positi iuxta viam publicam, ita se habet: eam enim sæpe legi.

NVMINI AVG.
DEO SILVANO
FABRI TIGNVAR.
QVI FORO SEGVS.
CONSISTVNT.
D. S. P. P.

Segusianorum autem pręter Plinium meminit Claudius Ptolomeus genere Alexandrinus, idemque insignis Mathematicus.

Anse riuiere. *Ansa*, à tribus leucis supra *Sancti Antemij* vicum originem petens, procedit ad pontes lapideos *Vaucereum* & *Imperatum*, mox *Chalanconam* Vellaunorum, tum *Vianam* pontem, *Ausellas*, denique *Tholinum* & ipsum pontem fertur; ac prope *Bassam* vicum separat Vellaunos ab Aruernis & Forensibus populis, id est Segusianis. In eisdem Forensibus *S. Boniti castrum*, fonsque ad temperandum Fuxense in Pyrenæis ferrum, dulce vt ita dicam ac flexibile, ita tamen vt aciem mirè secantem habeat, vnde maxima copia grandium forcipum

Le pont Emperat.

Bas.

S. Bonnet le Chastean.

fit propter aquæ innatam temperaturam huiusmodi, quia nusquam talis & tam excellens reperiri potest, & chalibs nulli ad eam rem conficiendam vsui est. *Linio* etiam fluuiolus finibus Forensium propè parrochias *Nigri stabuli* & *Sancti Desiderij* iuxta hospitale Rupisfortianum, collés primùm adiens; inde *Boencum*, oppidum procerum è nobilitate Leuianę, tum ad *Boteressiam* ligneum pontem habet quo Montembrissonem itur caput Præfecturæ Forensium, postea altero ponte ligneo tremuloque in Ligerim flumen labitur præcursis ante Bastiæ amœnissimæ villæ hortis dædalo, & aliis preciosis rebus, maxime autem sacello mirabili quod Claudius Vlphiaci dominus Legatusque Regius apud Romanum Pontificem, ædificari fecit.

LIGER. *Lignon riuiere.* *Noire estable.* S. *Didier.* *Boen.* *La Bastie.*

A Foro autem secundùm Ligerim descendere cupienti, *Barbiniacum* præter cætera citò occurrit, *Austregesilli* ædes sacra, religione singulari. Is Aruernorum quondam Episcopus fuit, ab eo vsque ad *Pineum* veterem pontem parum abest. Eius stant pilæ quinque firmissimæ, quarum vna lar-

Barbigny. S. *Austreliege.* *Piney.*

LIGER. ga admodum, crassáque; è durissimo enim lapide ad extrema pontis ipsius è lapidicina deprompta coloris cinericij, tanto artificio & solertia connexa est, vt nec rectiùs nec meliùs cæmento tenacissimo alligari potuerit. Eo loco flumen propter angustias strangulari putes, rupibus vtrinque aquam illius fluminis cogentibus vsque ad *Villeresium* quinque leucis distantem, estque Liger toto illo spatio admodum sinuosus, vt faciliùs vimineis, aliisque piscatorum instrumentis capiantur lampetræ, carpiones, lucij, vmbri, sulmones, aliæque piscium species, quæ sagenam propter angustias vitare nequeunt. A centum retro annis aut circiter tanta inundatio fluminis non fuit, vt præter illas quinque lapideas pilas, trabes omnes, trigilla, languriæ, apparatus motus loco in præceps abierit

Villeraix.

De riuiere.

Dea amnis in monte Lunæ oritur ad syluam Magdalenes emensus, quę longe latéque patet, & ad radices oppidi *S. Iusti* cui *Cabalino* cognomen est, decurrit. In cuius loci prioratu, D. Theobaldi dicto, sepultus est

S. Iusten Chevalet.

auunculus & Mœcenas meus Philibertus Girinetus Eques Basilicæ Lugdun. Prior dicti oppidi. Inde parrochias *Iurensem* & *S. Marcelli* percurrit, non procul à castro *Vlphei* Marchionatus titulo insignito, edito ad modum collis ædificato, vt ferè è tota Forensium prouincia conspici possit. Post inter rupes fluens tres lapideos pontes habet, *Morrunium*, alterum *Diuæ Virginis* in Valle situm, & infra dorsum asini tertium, *pontem Magnum dictum*: & supra subiectam vallem situm est *Diui Germani* oppidum valde salubre, quæ Ithaca mea est, videlicet patria & natale solum. In eo amne troctarum & cancrorum feraci sunt gurgites aliquot, postea continuato in planicie cursu pratorum faciem lætam alit, & prioratum *Pomeriorum* attingit ordinis Benedictini, qui à Nantua Alpino cœnobio dependet. Deinde *Argenteum* amnem, *Aureum* & *Scutum*, preciosa, vt videtur, nomina, vltrò complectitur, & torrentem *Isablium* suscipit, sæpe noxium, & regioni vicinæ periculosum: impletoq; cursu octo leucarum ad summum ab occidente ad

LIGER.

Iurè & S. Marcel.

Chasteau a' Vrphê.

Pont Morru

Pont Nostre Dame, grand pont.

S. Germain la Val.

Pomiers.

Argent.

Or.

Escu.

Isable.

Ruisseaux.

LIGER. orientem in Ligerim demergitur, quarta parte leucæ à veteribus quinque pilis Pinei pontis. In eũdem quoque fluuiũ cadit *Vſo* amnis ab orientali ripa veniens. Prædictæ autem pilæ adhuc viſuntur, & reficiendi eius cura Forenſium mentes ſollicitat, & viatorum inſtitorumque calamitates, quas patiuntur cùm Liger aut ex aquis pluuiis, aut imbribus creuit, primùm apud Linionem fluuiolum natura rapidum, & ligneo tantùm ponte eoque tremulo ſtratum; deinde in tranſitu Ligeris extra ripas latiſſimè diffluentis, vt pernoctare, ac biduum, triduumue morari cogantur. Quòd ſi apud Pineum vbi Liger rupibus præaltis veluti ſtrangulatur, pons qui olim fuit reficiatur vt Rex fieri iuſſit, architectus ad hunc pontem conficiendum ſe offert, qui petit ſibi dari Francias libellas tricies mille, quinquies additis, ſecundùm morem Gallicę regionis, ea lege vt quindecim annorum ſpatio vectigalia tributaque accipiat, & ea habiturus ſit perſolutis fiſco quotannis ſexcentis tantùm. Altitudo autem cuiuſlibet pilæ erit quatuordecim pedum, acci-

Pont de Piney.

Vs, ruiſſeau.

piendo tantum à sperone qui hinc & illinc impetum aquę ab imo arcet atque repellit glaciem abrumpẽs, pontemque ipsum ab his defendit ac tuetur: speronis enim est scindere occurrentes glacies geluque ponti noxium, vt fulcimen eius & præsidia aduersus vim externam. Spero quoque superior decem pedum erit, podicum sex, inferior longus octo pedes, sex totidem podicum crassus, & solidus, si longitudinem spectes quatuordecim pedum, si latitudinem octo. Pars pilarum earundem, si longitudinem spectare velis, quatuordecim pedes, latitudinis sex habebunt. Vicinior spero quindecim longus, decem tosias largus erit. Inter duos parapetes via seu deambulatio pontis media, erit quindecim aut sedecim pedum, & tertius parapes octo pedum erit. Pila autem omnium altissima longa erit quatuordecim pedes, sexaginta quinque aperturæ cœli aut aëris. Secunda verò quinquaginta quatuor, tertia triginta nouem, vltima totidem. Massiuum autem siue solidum proderit fornici pontis, cæterisque necessariis ad constructionem rebus.

LIGER.

LIGER. Nec procul à ripa verſus Forenſium regionem eſt ſylua cognomento Baſſa regij iuris, vnde materia ſeu ligna cuiuſcumque generis fornici ſuppeditantur. *Taratrum* oppidum in militari via qua Lugdunum itur poſitum eſt in radice præexcelſi montis. *Rodumna* in alia ripa ſe oſtendit, cuius nomen territorij quoque eſt. Nam Rodumnenſium oppida, vici, caſtella, agrique eo comprehenduntur, ac Rodumnæ nomen Ptolomeo ipſi cognitum fuit. Non procul abietum copia, quibus nauiculæ multo leuiores cæteris conficiuntur, vnde accidit vt remiges viribus ſuis ſummâ celeritate ſecundo amne defluant, ſic vt volare potiùs quàm aliud facere videantur, & expediti curſores dimiſſis equis ſeſe huic fluuio committunt. Ab eadem Rodumna ſiue Rodona, vt hodie dicitur, vſque ad *S. Victorem* compertum eſt viginti leucas numerari, ſi aqua & nauigio ire cupias. Quod ſi ad alteram ripam Ligeris fluuij tranſieris, quæ *Bellijocenſem* præfecturam attingit, per *Botionem* villam amœniſſimam, *Caſtrum rotundum*, FORVM Seguſianorum, Pi-

Tarare.

Beauiolois.
Borcon.
Mõtrõd.
Feurs.

neum, Præiectum, *Mauricij pilas*, vbi pons alius etiam fuit, oppidum eiusdem Mauritij, & Villaresium, denique Rodumnam peruenies. Liger autem inter pontem sancti Ragneberti, & FORVM excipit fluuiolum qui *Coisus* dicitur, prope Diui *Baldomeri* oppidum in edito colle situm, & in quem decurrit leniter aqua exigui fontis, stupendi tamen effectus, quæ asperitate sua obmineralia seu sulphurea quædam, *fons fortis* vulgo appellatur: primò quia vini supplet penuriam; nam si sextarium sumas vini, effundasque quartam huius aquæ partem, existimabis minimè fuisse dilutum: scintillas autem multiplices emittit, huiusmodique aqua pro potu vtili & frugi quotidie vtuntur incolæ, vitibus enim carent. Aliud etiam longè mirabilius, si huiusmodi aqua vtaris tepida facta pro pane conficiendo, ex quolibet frumenti aliique generis grano, non secus ac si egregiè fermentato obducta foret, in tumorem se se breui ipsa farinæ congeries attollit. Sed cibis decoquendis minimè inseruit. Ignis enim percipiens calorem in vapores & fu-

LIGER. S. *Maurice.*

Coyse. riuiere. S. *Germier.*

La Font fort.

LIGER. mos tota reſoluitur, ad id alia vtuntur aqua. Maximum autem præſtat commodum oppidanis huiuſmodi fons, vt Medicorum perrarò indigeant auxilio. *Dunziacum* FORO vicinum Liger etiam accipit, & *Verneſonem* fluuiolos, nec non alium qui *Nigra vnda* nuncupatur, deditque nomen oppido ſuper ea ſito. *Furninum* amnem à Caroliloco fluentem prope Marſigniacum ſacrarum virginum ordinis Cluniacenſis monaſterium præterire non debeo, qui in Ligerim labitur, faciléque ex eo portu vſque ad Carolilocum mercimonia deferuntur, indeque in Ararim ac Lucdunum emporium. Caroli autem locus ſitus eſt in valle nigra, hoc enim nomen olim illi fuit, cùm antiquitùs proceris arboribus ſylua admodum opaca ac denſa tegeretur, quibus poſtea exciſis à Boſone Comite Prouinciæ & Coroli Calui penè ſocio: adeò enim eum diligebat vt ab ipſo loco hoſpitale beati Fortunati, qui nunc Prioratus appellatur, exædificari cœptum ſit, vbi ad alterum latus chori ſub lapide formam crucis habente longitudinis & latitudinis exi-

Douzy riuiere.
Vernezã riuiere.
Neyrõde riuiere.
Marſigni les Nonnains.
Charlieu.

miæ Boso conditus iacet. Carolilocus Matisconensis diœceseos est, qui olim Burgundiæ regionis, subiectus erat Balliuo Sinemurensi, & ab eo ius accipere tenebatur. Tandem sub Lugdunensis vrbis imperio & iure fuit. *Soruinus* amnis prope muros & septa magnifici prioratus *Sancti Fortunati Rauennatis* decurrit, continuatoque cursu in Ligerim labitur. A Caroli autem loco *Bellamuillam* Bellijocensis agri Arari propinquam pari facilitate deducere, mercimoniaque omnis generis colligere in portu ac deferre in Ararim, reddique Lucduni noti artifices offerunt, si modo tria millia aureorũ Gallici generis à fisco acceperint, quod nondum tamen præstitum est. In alia verò ripa oritur fluuiolus qui vulgo de *Renaison* appellatur, vbi generosum vinum crescit, è sylua beatæ Magdalenes in monte sita: decurritque supra vicum id nomen ferens inter *S. Abundum* & Diui Andreæ castrum nobiliss. gentis de Albone, inde ad Prioratum Belliloci Virginum fontis Ebraldi, postea Rodumnam id est in Ligerim. A Rodumna celebri portu

LIGER.

Semur.

Soruin. riuiere.

Belle-ville.

Riuiere *de Renaison.*

S. Aon.

LIGER. Ligeris vsque ad fontem eius triginta aut circiter sunt leucæ, ab eodem Niuerinas longæ, inde Turonum breues, & vsque Nannetas longiores. *Crociciaco* Nannetas quinque, ad Nazarij portum decem esse dicimus. A Nannetibus auerso flumine Rodumnam dextram manũ sensim complectendo primùm petit *Rocæforcium*, quod abest leucis quindecim, *Pontes Cei* decem & octo, *Salmurum* triginta, *Condacum*, vbi Martinus Turonum pontifex in parrochia sua decessit, triginta tres, *Turones* quadraginta septem, *Ambasiam* quinquaginta tres, *Caluum montem* quinquaginta septem. *S. Theobaldi* portus octo supra centum, *Ostium* siue *Becum Elaueris* centum decem & septem. *Briaria* centum quadraginta sex. A Nannetibus *Ingrandiam* vndecim, ad *Buccam Meduanæ* decem & septem, ad *Capellam* cognomento *Albam* triginta quatuor, *Blesas* sexaginta duæ, *Balgentiacum* septuaginta duæ, *Magdunum* septuaginta quatuor, *Aureliam* septuaginta nouem, *Castrum nouum* octoginta, *Briariam* nonaginta quatuor, *Giemum* seu *Ge-*

Le Croisil.

nabum nonaginta duæ, *Conadam* centum & duæ, *Charitatem* nouem supra centum, *Niuerinas* seu *Noniodunum Heduorum*, centum quinquaginta si addiderimus quinque, *Decisam* centum quatuor & viginti, Floriacensis Cœnobij portum centum triginta quinque, *Portum Digoini* in Burgundia Heduorum centum triginta quinque, Marciniacum in eadem etiam portum, centum quadraginta, Rodumnam centum quadraginta sex. LIGER.

Sequuntur in Burgundica ripa, *Marciniaci* & *Digoini* portus. In illo est sacrarum virginum cœnobium ordinis Cluniacensium: simul exitus *Resconsi* amnis in Ligerim influentis. Post quem locum in conspectu est collis & Castellum *S. Ioannis* in eo positum. Deinde ostium *Arotij* supra *Augustodunum* Heduorum vrbem, celeberrimam Iulij Cæsaris temporibus, summa rapiditate dilapsi, sed nauigationi inutilis propter saxorum obices qui impediunt quominus commodissimè nauigari possit. Quidam Canonicus Augustodunensis mihi retulit eum amnem vali-

Marsigny les Nonnains.
Port de Digoyn:
Recousse riuiere.
Aroux. riuiere.
Autun.

LIGER. dissimum, & qui nauiculas ferret singulis annis tres menses, nisi obstarent rupes, & saxa quæ in eo sunt frequentia. Augustodunum appellarunt. FLAVIAM à Flauio Constantino, vt Eumenij Panegyricum testem habeo. Cornelius Tacitus libro tertio scribit olim nobilissimam sobolem Galliarum Augustoduni operam dedisse studiis liberalibus. Eiusdem Eumenij in Panegyrico ad V.P. Præsidem Galliæ verba sunt. *Id postulo quod non modò contradicendo nemo audeat impedire, sed omnes potiùs quibus diuina Principum liberalitas, quibus vrbis istius restitutio, quibus optimarum artium celebratio grata atque iucunda est summo gaudio & fauore suscipiant, vt Menianæ illæ scholæ quondam pulcherrimo opere & studiorum frequentia celebres & illustres, iuxta cætera, quæ instaurantur opera ac templa, celebrentur.* Et paulo infra. *At hoc, vir perfectissime, opus istud reddit illustrius, cum ipsorum Cæsarum tûm etiam omnium hominum aspectu promptius quod præcipuo est loco positum, quasi inter ipsos oculos ciuitatis, inter Appollinis Templum atque Ca-*

pitolium. Augustodunum in radicibus Cenisiorum montium posita est, irrigaturque à fluuio Arotio. Duo præcipuè templa habet, vnum Nazario dicatum cui Biterrense & Carcassonense templa Episcopalia deseruiunt, ac nuper à Paulo Petauio Senatore Parisiensi de literarum splendore optime merito mihi ostensa est moneta Augustoduni Heduorum argentea sic inscripta, MONETA S. NAZARII. Alterum Templum Heduorum Diui Lazari nomen habet atque Episcopatus sede ornatum. Et quidem Liger amnis circuitum longum facit circa Castellum cui *Borboni Ancio* nomen in Heduorum finibus. Mox oppidum atque insulam *Decisæ* peruenitur, vbi Aredius Episcopus Niuernensis honorificè habetur, septem tantùm leucis ab vrbe Niuernarum. Cuius insulæ fit mẽtio in Itinerario Antonini, aliisque scriptoribus, ac Decisam dictam puto quòd à continenti manibus atque opera mortalium fuerit decisa: vestigia enim extant in ea parte quæ ab æde sacra Magdalena dicta est, & ad Priuati Basilicam extra insulam

LIGER.

Loyre.

Bourbon l'Ancy.

Dezize.

LIGER. ducit, quam quidem lapideis pilis ſuperpoſitis languriis & trabibu-
munitam conſtat. Monaſterij de Diſ-
ceſia in decretalibus epiſtolis Inno-
centij tertij mentionem fieri video.
Loire. *Neuers.* Deinde NOVIODVNVM Heduorũ
appoſitum ripæ, vbi pons è lapide
longiſſimus eſt magno tranſeuntium
commodo à maioribus conſtitutus,
ac videtur pro Nouioduno vrbs illa
nomen aliud ſumpſiſſe, *Niuerinæ*
enim numero multitudinis dicuntur
à minoris famæ fluuio qui propè il-
lum pontem in Ligerim effunditur.
Niueris ergo partim à *Rambuico* fon-
te oritur in finibus *Arſiæ* tribus, vel
parrochiæ, partim ex alio ſupra
Dampetram, fluitque *Cellas* quæ pri-
mæ ſuper Niuerim ſitæ dicuntur. Hi
verò duo riui apud vicum *Guangari-
num* cõfluunt, rectaque ad lapideum
pontem *S. Vrſi*: vnde progreſſus am-
nis muros Niuerinæ vrbis à fluuio
Niueri dictæ attingit, ligneoque
ponte iungitur, qui eſt prope lapi-
deum, de quo ſupra diximus. Et Ni-
uerim quidem ipſum piſcoſiſſimum
iure dixeris, maximè luciorum, cu-
ius piſcis in eo copia eſt, & prato-

rum

rum in ripa eius virentium, ac mole- LIGER.
trinarum omnis generis.

Duabus autem leucis ſupra Niue- ALLIER.
riarum pontem *Elauer* ingreditur in riuiere.
loco cui Becco Elaueris nomen eſt, o. *Bec-*
quæ vox roſtrum auis domeſticæ ſi- *d'aller.*
gnificat, ſed pro oſtio vel exitu flu-
minis accipitur. At veriùs Beccus di-
citur (veterum Gallorum ſeu Dano-
rum lingua) aquæ curſus in alium
fluuium intrans. Liger verò auctus
aquis multo plenior ac diffuſior ap-
parere incipit. Elaueris autem ortum
ſubiicio qui ad diœceſim *Mimaten-* *Mande.*
ſem pertinet, in radicibus *Loſeræ* *Loſer.*
altiſſimi montis *Gabalorum* (quæ regio *Geuodã.*
hodie *Gabalia*) à Sidonio celebri
ſcriptore deſcripti, quem montem
vno die ſuperare poſſis; à Mimate *Les Ce-*
enim abeſt itinere vnius diei. *Ceuen-* *uennes.*
næ, quas nominauimus, à monte Al-
bano protenduntur Viuarium vſque
& fluuium Rhodanum per Gothica
milliaria, quæ tribus aut quatuor
paſſuum millibus conſtant, multáſ-
que vrbes & vicos continent, regio-
ne magna ex parte deſerta: *Vceticam* *Vſez.*
Epiſcopatu inſignem, *Borgeranum*,
Saluitatem, *Simenam*, *S. Saturninum*,

LIGER. *sanctam Africam, Aiesiam, Villamfrancam, Burneachildum, montẽ Albanum* alio Episcopatu nobilem, duabusque à Langonio leucis, à *Condresio* vico fluens per fines Vabrincensium, muros *Langiaci* oppidi Aruernorum alluit. Mox apud *Veterem Briuatem* rupibus stringitur, arcúque mirabili & forniculo, quem inter Romani operis vestigia meritò recensemus. Tum *Issiodorum* præterfluit, amœnissimi situs vrbem, in planicie Aruernorum, quæ *Limania* Gregorio Turonensi dicitur antiquo scriptori rerũ nostrarum, ad quam pertinere puto locum illum Sidonij, qui & Aruernus & nobilis scriptor fuit. Is enim epistola 21. lib. 4. ad Aprum. *Taceo*, inquit, *Auernici territorij peculiarem iucunditatem, taceo illud æquor agrorum, in quo sine periculo quæstuosæ fluctuant in segetibus vndæ; quod industrius quisque quo plus frequentat, hoc minus naufragat: viatoribus molle, fructuosum aratoribus, venatoribus voluptuosum: quod montium cingunt dorsa pascuis, latera venetis, terrena villis, saxosa castellis, opaca lustris, aperta culturis, concaua fontibus, abrupta fluminibus.*

Vieille Brionde.

Pont de Brionde.

Yssoire.

La Limagne d'Auuergne.

Quod denique huiusmodi est, vt semel visum aduenis, multis patriæ obliuionem sæpe persuadeat. Taceo Ciuitatem ipsam (Aruernam) tui semper sic amantissimam, vt soli nobilium contubernio præferre nihil debeas: cui tu manu iniecta fœliciter raptus inserebare: sicque omnis præsentiæ vestræ voluptas, quod tamen nullum satias, cœpit. Ad quem Sidonij locum plenius intelligendum proderit & ille Saluiani lib. 7. de gubernatione Dei. *Nemini*, inquit, *dubium est Aquitanos ac Nouempopulanos medullam ferè omnium Galliarum, & vber totius fœcũditatis, sed quæ proponi interdum fœcunditati solent, iucũditatis, voluptatis, pulchritudinis: adeo illic omnis admodum regio aut intertexta vineis, aut florulenta pratis, aut distincta culturis, aut consita pomis, aut amœna lucis, aut irrigata fontibus, aut interfusa fluminibus, aut crinita messibus fuit, vt verè possessores ac domini terræ illius non tam soli istius portionem, quàm paradisi imaginem possedisse videantur.* Quo quidem loco Saluianus de nouem populis loquitur, quos tamen in sola Pithoei editione, non in Germanica reperio.

LIGER.

LIGER. Dicam ergo de Limania Aruernorum quod Cicero ait de lege Agraria contra Rullum. *Campani semper superbi bonitate agrorum, multitudine fructuum, salubritate aëris, & pulchritudine regionis.* Aruerni sane ipsi & Lemouices res suas ac negotia procurant, postea si otium est & si volunt, vicinorum, id enim de eis circumfertur.

Les Auuergnats & Lymosins
Font leurs affaires, puis celles des voysins.

Interpres verò Sidonij Ioannes Sauaro amicus meus in epistolam secundam libri tertij: Aruernorum, inquit, flumina sunt *Elauer, Alanio, Sumara, Dor, Triobria, Iordana, Siuolis, Duranius.* Horum Elauer (vbi Issiodorum præterfluit ac GERGOVIÆ veteris altissimum montem, in quo sita erat) omnes aditus difficiles habebat. Cæsar sex legiones in Aruernos ad oppidum Gergouiam secundum flumen Elaueri duxisse libro septimo Commẽtariorum scribit, iuxta quem montem in ipsis penè radicibus labitur non procul ab *Arnerno* siue *Claromontensi* vrbe, vt nunc vo-

Allier, Alanio, Sumare Deo, Trieure, la Iordane, la Sole, Dorgone, riuieres GERGOVE.

Clairmont.

catur. Vix enim ab ea mille passibus abest in modico colle posita, cùm Elauer in *Daletini* vici ripa Adriani Cæsaris inscriptionem adhuc habeat, & penè in conspectu vrbis fluat, vbi longitudo lacus Papianillæ desinit: *Sorliua* is nunc dicitur. Sed is lacus à Iulio est præteritus seu minimè descriptus, quod à Sidonio Plinium imitante, elegantissimè præstitum est. Inferior autem Aruernia in planicie sita, habet plura quidem, sed parua tantùm flumina, nec periculosa, nisi tum ex niuibus aut ex pluuiis creuerint, vt plerumque accidit, cùm marginibus lapideis si qui occurrunt, superatis, vicinos campos inundant. Ex eo numero *Bedacius* prope *Manergium* oppidum in Elauer fluit, hic primùm mercimonia Aruernorum gentis, quæ & varij generis & multiplicia sunt, Ligerim vsque deferenda nauiculis committuntur, & ipsum Manergium oppidum distat à portu duobus ferè millibus passuum. *Dora* maior amnis, seu Doris in eiusdem nominis vico, oritur vna leuca supra *Arlantium*, in quo tres aut quatuor riuuli permiscentur,

Liger.

Sorliene.

Bedac riuiere.

Maringuo.

Dore riuiere.

Arland.

LIGER. & loca quæ in territorio illo irrigat *Vallis Dorenſis* appellantur, vt ex ipſo textu Conſuetudinis Aruernorum videri poteſt, quo nihil eſt verius in iure municipali. *Durotia* prope *Thiernum* emporium celebre in Doram influit. Dora autem *Ambertam* notum oppidum & *Curtam Petram* defertur, priuſquam in Elauer labatur, & ipſe Elauer decurrit in *Cuſſetium* validiſſimam vrbem & *Vicanos* Thermis nobiles, ligneoque ſublicio ponte *Vichiacum* eſt oppidulum appoſitum Elaueri eodem latere quo *Molinæ* flumen ipſum tangit, ac prope eſt Celeſtinæ familię domus. Duo pares amnes *Chiſſo* & *Iolara* in vicinia orti inſtructique ſalaribus ſeu troictis, paulo infra idem oppidum in Elauer flumen cadunt. Ludouico XI. Rege validiſſimis muris idipſum renouante annis ſeptem, & aliquot menſibus, quo temporis ſpatio incluſo nouis muris veteri ædificio id opus abſolui curauit. *Molinas* poſtea abluit Elauer præcipuam vrbem BOIORVM gentis, de quibus Cæſar lib. I. *Boios, petentibus Heduis, quod egregia virtute erant cogniti, vt in ſi-*

Ambert

Cropiere.

Cuſſet.

Chiſſon, & Iolare riuieres.

Moulins

Bourbonnois.

nibus suis pedes collocarent concessit, quibus illi agros dederunt, eosque postea in parem iuris libertatisque conditionem, qua ipsi erant, receperunt. Idem 7. *Biturigibus profectus Gergobinam Boiorum oppidum quos ibi Heluetico prælio victos collocauerat, Heduisque attribuerat, oppugnare instituit.* Boij autem *Borbonenses* hodie appellantur à Borbonio Archembaldi castello iampridem nobili, sub diœcesi Biturigum posito, egregióque, & antiqua sede agnationis regiæ, & posterorum Ludouici noni inter Diuos honorificè relati. *Chamboniũ* Sanctæ Valeriæ *Combroliorum* celebris Abbatiæ nomen est, & Combrolios Boiorum veluti clientes esse comperio. Et Molinæ quidem Borbonensium, amœnissimo situ, pulchroque & salubri in Lugdunensi via positæ sunt, ac Vercingentorigem omnes interrupisse eius fluminis pontes, & ab altera ipsius parte iter facere cœpisse apud Cæsarem legimus. *Siuolis* fluuiolus è via eiusdem nominis ad *Rupem fortem* fluit, inde *Pontem Gibaldi* vicum, castrumque via, qua à Lemouica vrbe

LIGER.

Combraillet.

La Siole, riuiere.

Pont-Gibaud.

LIGER. Claromontem itur, in quem decurrit
Pont au Mur. riuulus *à Ponte-Muro* prope Carthusiense Cœnobium à portu Sanctæ Mariæ appellatum, & *Ebrolium* Abbatiam Benedictini ordinis quõdam Sidonij *Eborolacense* prædium. Ab illo autem ponte Gibaldo duabus circiter leucis visitur fons mirabilis, cuius aqua Iulio & Augusto mensibus gelu vehementer astringitur, minimè verò hyeme. Quem fontem viri docti plures descripsêre, postea
S. Porsain. Siuolis ab Aruernis delapsus *Sancti Portiani* oppidum alluit, pontemque habet, & infra id vno milliari ab Elauere accipitur, salaribus abundat delicatis, & omni piscium genere. Idem verò oppidum ad diœcesim
Riom. Claromontanam pertinet, ad *Ricomagensem* tamen iurisdictionem & Prætorium, censetúrque vna ex tredecim vrbibus Aruernorum, nihilominus tamen iure municipali Borbonensium regitur, quod diligenter obseruandum est. Inter Elauer & Li-
Besbre. gerim flumina oritur *Besbria* è fonte, qui est in valle prope *Prumiam* vicum, ac fluens nomen dat Besbriæ domui ad quam decurrit: inde per

vallem *Palitiæ* subiectam egregiæ munitioni atque oppido, & inter Prioratum *Sanctæ Crucis* cui *Floræ* nomen, & *Tresaium* parrochiam: Inde Ialliniacum, tandem sub Abbatia septem fontium Ligeri permiscetur. Ab eius fonte vsque ad Ligerim numerantur secundùm morem regionis Borbonensium duodecim leucæ. Tandem Elauer fluendo in Ligerim & aquas & nomen amittit. Locus ostij eius supra à nobis designatus est. Cæsar initio Commentariorum belli Gallici scribit ferè ante Autumnum vado transiri Elauer non solere.

LIGER. *La Palice. Saincte Croix de Floré.*

Liger postea *Charitatis* oppidum alluit Antisiodorensis diœceseos, à charitate olim dictum quam Cluniacēses monachi erga pauperes viatoresque exercebant. Gerardus Frasques in vita Romanorum Pontificum ad Ioannem 22. scripta de hoc oppido ita loquitur. *Anno Henrici Imperatoris XIII. fundata est nobilis nunc & famosa valde Ecclesia Sanctæ Mariæ de Charitate, in quo loco requiescit Gerardus Prior, eiusdem constructor Ecclesiæ, vbi multorum monachorum deuotio diuinis obsequiis mancipatur.*

Loire. La Charité.

LIGER. Hic locus situs est super Ligerim fluuium in Episcopatu Altissiodorensi, & hic ponte lapideo in Bituriges trãsitur, in quorum ripa pene ad radices altissimi montis & vitibus consiti *Sacri Cæsaris* oppidum se videndum præbet etiam inuitis, si modò oculos in cœlum erexerint, nullibique Cæsar magis idoneum ad sacrificandum diis eligere potuit quàm hunc ipsum; vnde Aurelia facile conspicitur sereno sudoque cœlo, aliaque aduerso flumine remotissima oppida. Sed in radicibus eius montis, visitur *Portus* à nomine *Diui Theobaldi* dictus, optima statio nauiculariorum ob vini Cæsariensis, rerumque omnium copiam, & viciniam monasterij quod à *Diuo Satyro* nomen habet. Philippus Augustus Francorum Rex Sacri-Cæsaris id oppidum vocat literis ad Bituriges datis, quas ipsi diligentissimè custodiunt, & Guillelmus Armoricus Philippidos lib. primo de eodem oppido ait:

Sanserre.

Port S. Thibauld.

S. Satur.

--- Comes Stephanus, qui mœnia sacri Cæsaris, & ditis pro magna parte tenebat Prædia Bituriæ celebrem parientia Bacchum,

Vrilia quoque oritur in finibus Autissiodorensium apud *Treuignum*, septemque leucas cursus habet, quo confecto prope *Nouum vicum* in Ligerim labitur. Sequitur *Conada* S. Laurentij, Autissiodorensis diœcesis, vt veteres membranæ & politicum Ecclesiæ ostendunt, opposita eidem fluuio in diuersa ripa, in quem riuus cognomine Ouus ex eodem oppidulo fluit, impositum pontem habens, venienſque è *Clemenciaco* noto oppido quod Clemenciacum olim dicebatur. *Briaria* oppidulum propè id flumen situm est, in terram viatorum Lutetiam recta petentium à Rodumna vsque primo & generali portu descensioni expositum. Meminit etiam Guillelmus Armoricus Philippidos libro primo *Castellionis* nobilis loci in hunc modum.

LIGER. *Vrile riuiere.* *Neuuy.* *Cosne.* *Oeuf riuiere.* *Glamecy.* *Briare.*

Non procul à fluuio Ligeri Castellio Castrum,
Fertilibus florebat agris, cui flumen amœnum
Hinc latus exornat, reliquum vineta coronant
Turribus excelsis, muris fossisque superbam;

LIGER. *Nullius vt vires sibi diceret esse timendas.*

Gien. *Giemum* etiam vrbem eiusdem ripæ alluit, quam pons fluminis lapideus continet, & suburbanum eius incolæ veterem Genabum adhuc vocant, nec amœnior vsque situs oppidi esse potest, in quo nundinæ quotannis celebres fiunt, quas à loco

Loire. *Giemenses* tota Gallia appellare consueuimus. Genabum autem Cæsar libro septimo Commentariorum oppidum esse dicit, quò biduo peruenerit à Vellaunoduno Senonum, & quod Genabum fluuius Ligeris continebat, veritus ne nocte ex oppido profugerent, duas legiones in armis excubare iubet. Genabenses paulo ante mediam noctem silentio ex oppido egressi flumen transire cœperunt, qua re per exploratores renuntiata, legiones quas expeditas esse iusserat portis incensis intromittit, atque oppido potitur, perpaucis ex hostium numero desideratis quin cuncti caperentur, quòd pontis atque itinerum angustiæ multitudini fugam intercluserant, oppidum diruit atque incendit, prædam militibus

donat, exercitus Ligerim traducit, LIGER.
atque in Biturigum fines peruenit.
Genabum igitur Carnutum dirutum
atque incensum ab illo fuisse perspi-
cimus. Qua de re infra dicemus. In
eadem Biturigum ripa secundo flu-
mine positum est *Soliacense* castrum, *Seuilly.*
quod à vico Floriaco distat tribus
millibus, vt ait Aimoinus Floriacen-
sis monachus, patria Petragoriensis,
in miraculis Sancti Benedicti, ac vi-
suntur adhuc apud Soliacum in flu-
mine Ligeri vestigia pontis lapidei
pridem rescisi seu bellis Anglorum,
seu alia quacumque calamitate supe-
riorum temporum. *Floriacus* verò *Fleury.*
parrochia Sancti Sebastiani apposita
est Ligeri, inque eius finibus visitur *Sainct*
Monasterium ingens Diuo Benedi- *Benoist*
cto sacrum, in cuius Templo Philip- *sur Loy-*
pus primus Francorum Rex huma- *re.*
tus est. De quo Aldreualdus cap. II.
de miraculis Sancti Benedicti: *Mo-*
nasterium, inquit, *Sancti Patris Be-*
nedicti ab vrbe Aurelianensi decem &
octo millibus distat. De eodem Mo-
nasterio Aldreualdus rursum ait:
Mummolus Abbas cœnobij Floria-
censis, quod situm est in territorio Au-

LOYRE *relianensi super fluuium Legerim.* Appellatur autem Floriacus *Vallis aurea* ab eodem Aimoino, inscriptione quæ in templo Monasterij sculpta est. *Hæc est vallis aurea*, opinor ob omnium rerum affluentem copiam. Fuit olim in eodem Monasterio domicilium omnium liberalium artium, doctique & eruditi viri ordinis Benedictini ibi docuerunt vsque ad Abbonem Philosophum, qui Hugone & Roberto regibus vixit, cæsusque est. Optimorum autem librorum supellectilem alumni Floriacenses posteris reliquerunt, ne bello quidem propter religionis causam gesto absumptam, sed furtim dissipatam, quorum iam multi excusi sunt, alioquin perituri si diutius in suis sedibus apud indoctos imperitosque possessores permansissent. Eiusdem auctoris hæc quoque verba sunt. *In loco iuxta Monasterium posita qui dicitur Vetus Floriacus.* Item cap. 7. historiæ translationis Benedicti & Scholasticæ, *milliario à Monasterio in vico qui dicitur Vetus Floriacus.* & eodem cap. *Agellus Floriacus haud longè à littore Ligeris.*

Iargolium Secalauniæ Biturigum in eadem ripa collocatum est, & ponte lapideo contineri certum est, tribus ab Aurelia clarissima vrbe millibus passuum, in finibus Carnutum posita, de qua nunc dicere necessarium est, vbi protulero Aimoini locum qui sic habet. *Liger est eorum maximus fluuiorum qui per Galliam aluei sui cursum in Oceanum propriis inuehunt nominibus.* Et cap. 8. lib. 2. de miraculis Sancti Benedicti. *Romaldus*, inquit, *ciuis Carnotensis extitit, cuius sylua trans Ligerim erat in Secalaunis sita, confinis syluæ quam Deo deuoti viri iam dictæ Ecclesiæ Floriacensi attribuerunt esse dignoscitur.* Porro *Belsia* Carnutum frumentaria regio est, à Ligerique & Aurelia protenditur leucis quindecim, *Stampas* vsque, & à Stampis Lutetiam quatuordecim leucæ minores numerantur, quas singulas metimur duobus passuum millibus. Hæc regio neque montes, neque fluuios, neque syluas, neque vites habet, nec prata nisi paucissima, propterea putei Belsiani fontes à prætereuntibus vocantur, vnde versus nescio cuius Poëtæ circumferuntur,

LIGER. IARIAV *La Soloigne.*

LA BEAVSSE.

ESTAMPES.

LIGER. *Belsia triste solum, cui desunt bis tria solum;*
Fontes, prata, nemus, lapides, arbusta, racemus.

In eadem quoque Belsia incolæ raras arbores nasci, nec natas crescere aiunt, propter tophum lapidis genus: puteique in ea regione altissimi sunt, quæ regio ipsa alta est. Guillelmus Armoricus Philippidos libro secundo de Theobaldo Blesensi loquens:

------ cui Belsia tota,
Cui Blesense solum suberat, Dunenseque castrum.

Et Philippidos libro sexto,

Belsia graniparis non tot flauescit aristis,
Non tot in Autumni rubet Algia tempore pomis,
Vnde liquore solet siceram sibi Neustria gratam,
Saxa Caducellæ non tot feriuntur ab vndis,
Quot bellatores Normannia donat eidem.

Quid verò Anglia suppeditare Galliæ soleat maiorum prouerbio sæpe dici solet.

------ d'Angleterre

Ne vient ne bon vent ne bonne guerre. LIGER.
Id est, ex Anglia, nec bonus ventus expectandus est, nec bellum.

De eadem etiam circumfertur sequens distichon:

Anglia, pons, mons, fons, Ecclesia, fœmina, lana.

Idque ipsi Britannicæ genti interpretandum relinquimus. Nec ante Fortunatum in vita Germani Parisiorum Episcopi, quisquam Belsiam dixerat, vt opinor. A bellis & lætis campis dicta est propter abundantiam frumenti, cuius vbertas tanta est vt nihil supra; & non sine causa, vrbis Parisiorum quæ longè maxima est, amplissimáque, *Granarium* vocatur. Aquas verò Belsiani pluuias habent ad aquandum animalia, easque in concauis colligunt locis, & resides arte faciunt, marasque vocant. Acciditque vt lutum quod equorum adhæret cuti inde absque pili amissione non possit fricando amoueri, si siccari semel permittatur.

Liger igitur Aureliam vrbem alluit, quæ Genabum dicebatur. Cæsar libro septimo de bello Gallico, *In oppido Carnutum Genabo*, & de Loyre. ORLEANS.

LIGER. qua Georgius Bucananus princeps huius sæculi Poëtarum ait:

------ Vndam
Ad Ligeris qua diues agri, qua diues Iacchi, (*res.*
Ostentat longè famosa Aurelia tur-

Verùm Aurelianense vinum inferre regiis mensis nefas est, etsi generosos prægustatores adesse illic certum est: quia id vinum natura corrosiuum putatur, notaque Reginaldi Biturigum Archiepiscopi vox illa, quâ in conuiuio hilarè dicebat, vinum Aurelianense numquam cecidisse causa sua, vbi præsens esse ac videri, gustareque posset. Glaber Rodulphus, cap. sexto libri secundi historiæ. *Fuit*, inquit, *Aurelia ciuitas antiquitus, vt est in præsentiarum Regum Francorum principalis sedes Regia, scilicet pro sui pulchritudine, ac populari frequentia, necnon & telluris vbertate, perspicuique irrigatione fluminis. Ex Ligeri quippe sibi congruo etiam flumine agnomen habet inditum, diciturque Aureliana, quasi ore Ligeriana, eo videlicet quòd in ore eiusdem fluminis ripa sit constituta, non vt quidam minùs cauti existimant, ab Aureliano Au-*

gusto quasi eam ipse ædificauit, sic vocatam, quin potiùs ab amne, vt diximus, quod rectius veriusque illi congruit. Et licèt Cæsar Genabum, vt dixi, diruit, atque incendit, vt Auaricum Biturigum expugnatum iret, tamen verisimile est voluisse postea vt pro Genabo restituto Aurelia diceretur, à nomine matris suæ. Neque enim autorem antiquiorem alium habemus, qui Aureliam vrbem nominet quàm Sidonium Appollinarem, qui Theodosij iunioris ætatem non superauit. Ligneum autem pontem Genabus olim habuit, nunc non habet, sed è quadrato lapide constructum, per quem in agrum Biturigum transitur, in viciniaque eius vrbis *Ligerulus* oritur tantus in ostio, quantus erumpit è fonte: altum enim fluuium & nauicularum patientem emittit; exiguus quidem cursus amnis, sed liquidus & altus, cui proprium nullo vnquam gelu astringi. De quo fonte copiosiùs cæteris scripsit Gallico sermone Leo Tripaltius Aurelianensis, & nos authoris verba Latina reddidimus in hunc qui sequitur modum.

LIGER.

Loyret.

LIGER. *In Ligerim labitur fons Ligeruli, & aqua eius, vnâ exigua leuca distans ab Aurelia, id est duobus passuum millibus, videlicet à latere Oliueti vici cursum habens paris longitudinis aut aliquanto maioris. Hic autem riuulus magna vrbi commoda, & toti viciniæ affert quouis tempore & qualibet parte anni: etenim numquam arescit ne ardente quidem Syrio, nec gelu astringitur. Itaque cùm Liger glacie durescit, vt quandoque accidit, & ob hanc causam moletrinæ nihil agere coguntur, ciues ac vicini accurrunt ad moletrinas riuuli plurimas numero, vnde eis facilè suppetit copia farinarum, qua nutriunt familias suas. Territorium verò vrbis multùm incolitur, fertileque est, & rebus omnibus abundans, quas mortales desiderare possunt, vt necessitati succurrant; veluti sunt omnis generis grana, vinaque præstantia, prata, pascua nutriendo pecori, stagna in quibus pisces conseruantur, ligna, syluæ, lanæ; & similia tàm in tota Belsia, quæ fertilissima est, nec minus quàm Sicilia aut Ægyptus, quæ horrea populi Romani olim vocabatur, quàm in Secalaunia, quæ natura placida & grata est, & in qua*

cōmodè & quantum vult homo capere potest pisces, aues, & quadrupedes bestias, quales sunt cerui, damæ, apri & lepores, & similia. Ipsaque Aurelia aëre bono, puro, nitido & sano salubris est. Ligerulus verò duos tantùm lapideos pontes habet, vnum apud Oliuetum duobus passuum millibus, alterum apud Miciacense Monasterium Benedictini ordinis, in quo Bibliotheca excellens olim fuit, doctosque & eruditos alumnos habuit. Id Monasterium Sancti Maximini Latinè dicitur. De Ligeri autem & Ligerulo accolæ dicere soliti sunt:

LIGER.

S. Mesmin.

Quand Loyre & Loyret s'entretiennent
Il n'y a pays qu'ils ne tiennent.

Perinde ac si dicerent, quoties hæc flumina iunguntur, magnam inundationem fieri necesse est, quod quidem sæpe accidit. A Giemo autem Aureliam decem & septem leucas nauicularij esse dicunt, totidem ab Aurelia Blesas, à Blesis Turones vsque, parem numerum recensent. Igitur Blesas nauiganti à ripa Biturigum primò occurrit *Clariacus* distans ab Aurelia tribus tantùm millibus, vbi Ludoui-

Clery.

LIGER. cus XI. Rex noster sepulchri locum
Meum. delegit. In diuersa autem ripa *Magdunum* oppidum situm est. De hoc in vita Liphardi solitarij quondam viri sic agitur. *Marcus Aurelianensis Antistes in vico Cleriaco qui ab Magdunensi oppido tribus distat milliaribus ob certas causas residebat.* In eadem vita etiã reperies verba quæ sequuntur. *Est mons apud Aurelianos, quem incolæ regionis illius Magdunum vocant, in quo antiquitùs extructum erat castrum quod à Vandalis hominibus barbaris ad solum ipsum dirutum est.* Quæ duo oppidula pari interuallo ab Aurelia absunt, videlicet quinque passuum millibus, & quod excurrit. Denique ad Aurelianenses Episcopos tria, vt dici solet, oppida pertinent. *Pitiueris, Iargolium, & Magdunum.* Et Aureliæ monasterium est
S. *Euuert.* *Sancti Euuertij*, cuius Abbas fuit Stephanus postmodũ Tornacensis Episcopus, in cuius epistolis, necdum excusæ sunt, tres tantùm locos hîc libet adscribere, quorum primus est ex epistola ad Ioannem Aurelianensem patriã, Domini Papæ Alexandri tertij scriptorem, vt quo tempore vixe-

rit ex ipsius Alexandri nomine, & Pontificatu statim intelligatur. Alter sic habet. *Natis sub Aurelianensi aëre, & Ligeris aquâ perfusis, æstiuo tempore Romæ morari, non est aliud quàm mori.* Tertius, *Solent plerique Aurelianenses aurei inter alienos esse, quia nec argentei sunt inter suos.* De Aurelia quoque Ioannes Sarisberiensis, qui Adriani & Alexandri temporibus vixit, in epistola, cuius initium est. *Solent pigmentarij*, De Lexouiensibus nec non Aurelianensibus ita scripsit. *Domini Lexouienses, patres non modò eloquentium, sed eloquentiæ quodammodo sunt. Nam cùm Aurelianensibus, qui multarum rerum peritiam & vsum habent, æquentur in plurimis, in eo faciliùs antecedunt, quòd hîc nascuntur, & fiunt eloquentes, adeò quidem vt omnem ætatem, & sexum, genuinus eloquentiæ vsus imbuat & informet. Quid ego impeditioris linguæ humuncio, torrenti tantæ eloquentiæ respondebo?* Ab Aurelianensi autem vrbe Liger habet centum sexaginta leucas nauigationis, cuius dimidium Aurelia est, & à Rodumna primo Ligeris portu ad

LIGER.

LIGER. eam vrbem septuaginta. In vita Genouefæ Virginis in agro Parisiorum natæ apud vicum Nemptodorum, scriptaque Childeberti temporibus hæc reperio. *Ab Aurelianensi vrbe vsque Turonum ciuitatem quæ tertia Lugdunensis nuncupatur, perhibentur esse stadia sexcenta, milliaria septuaginta quinque, quæ adhuc veteri Gallorum lingua nuncupantur leugæ quinquaginta.* Omnes autem scriptores Martyrologiorum à Carolo magno Aurelianos in plurali numero dixerunt, & ante eos Sidonius lib. 8. Aurelianensem vrbem. *Belgenciacum* autem oppidum in eadem ripa situm decimo ab Aurelia milliario postea occurrit, ponte egregio quem nostri Reges olim fieri curarũt instructum. Hîc Ludouici VII. & Eleonoræ vxoris ditissimæ fœminæ matrimonium pridem contractum, mutuo consensu dissolutum est. Idque initium bellorum fuit, quæ diuturna contra Anglos & totam ferè Aquitaniam, funesta, vt ita dicam, atque exitiosa fuêre.

BAVGENCY

BLOIS. *Blæsas* tandem venimus, vbi CORBILIONEM Gallica vox arguet fuisse.

fuisse. Strabo Corbilionis nomine emporium totius Galliæ super Ligeri fluuium situm, ponte munitum, & memoria Petri Blesensis scriptoris non improbandi, cuius opera iam pridem publicata fuisse manifestum est. Hanc esse patriam Agilulphi monachi Floriacensis, postea Lyrinensis Abbatis in eius vita traditum est, in qua hæc verba reperio. *Blesense castrum ad montis cuiusdam latus situm est, quem Liger fluuius præterfluit, eo loco sane piscosus imprimis, & magnam illi adferens vini atque frumenti, cæterarumque rerum homini nutriendo necessariarum fertilitatem.* Aimoïnus historicus tradit Ludouicum Pium Cæsarem peruenisse ad flumen Ligerim prope castrum Blesense, quo Ciza amnis in eum confluit, *Siciam* nunc vocant. In alia ripa occurrit *Ambasia*, vbi Carolus VIII. repentè ictu sanguinis extinctus est. De vico Ambaciensi Fortunatus in vita Martini sic loquitur.

LIGER.

S. Agoul

Cise riuiere.

Mirum aliud vico quod contigit Ambaciensi.

Et hîc etiam meminisse placet Iosephi cognomine Gorrionis, quem

LIGER. Ambasensem patria aut Turonensem fuisse Iudæi asserunt, qui historiam Iudæorum perscripsit. Ambasia autem præclarum hodie pontem habet. Iuxtaque eam *Amatissam* fluuium excipit Liger, deinde progreditur CÆSARODVNVM Turonum, vnde *Laudiacum* vsque sunt stationes & posituræ equorum quas postas vocant duæ, quæ expectant aduenientium cursorum celeritatem: Qui locus *Mons-Laudiaci*, & vulgo *Montlouys* ab indigenis vocatur. Gregorius Turonensis libro secundo Laudiacum ait ab vrbe Turonum milliario situm. Hîc quoque cap. 10. libri 4. Capitularium Caroli magni inserere necessarium putamus, quod infra Aureliam penè quotannis aggeres reficiendi sint. *De aggeribus iuxta Ligerim faciendis, vt bonus missus eidem operi præponatur: & hoc Pipino per nostrum missum mandetur, vt & ille ad hoc missum ordinet, quatenus prædictum opus perficiatur.* In Turonibus pira Boni Christiani adeò suauia, vt Pontifex Romanus ea ad se missa cum Cardinalibus conuiuis auidè comederit, nec quicquam ac-

Amboise.

TOVRS.

MONT-LOVIS.

cipi à ſuis voluerit pro bullis à deſi- LIGER.
gnato Turonenſi Epiſcopo. Duobus autem extra eam ciuitatem millibus, Martinus monaſterium ſibi ſtatuit, qui locus tam ſecretus & ſemotus erat vt eremi ſolitudinem non deſiderares. Ex vno enim latere præſciſa montis excelſi rupe ambitur, reliquam planiciem Liger fluuius reducto paulatim ſinu clauſerat. Rurſus Monaſterium, inquit, beati viri duobus à ciuitate millibus erat diſparatum. Hæc Sulpitij Seueri politiſſimi ſcriptoris, & facundiſſimi Gallorum, verba ſunt in vita D. Martini Turonenſis Epiſcopi, iſque locus *Maius Monaſterium* appellatur à *Marmõſtier.*
Gregorio Turonenſi libro decimo. Turones iuxta Ligerim eſſe Ptolomeus aſſerit, TVROPIOS vocans pro Turonijs, quâ voce Cornelius Tacitus vſus erat, ciuitatémque illam *Cæſarodunum* nominans, quæ in tertia Lugdunenſi tranſligerim ſita eſt, & lapideo ingenti ponte multarum fornicum excellit. Nec verò totâ Galliâ regio vlla eſt, vbi ver, vbi æſtas atque autumnus ſuauiores ſint, vel pira meliora, cæterique fructus præſtãtiores.

LIGER. Duabus leucis infra eamdem vrbem in ripa Ligeris rupes est concaua, vnde stillicidia quamplurimas figuras effingunt, alias forma rotunda & orbiculari, alias oblongas, alias amygdalis similes, omnes tamen albo & candido colore politissimas, vt Tragemaræ persimiles appositè dicantur, ac sæpè fallunt conuiuas in mensis, præsertim fœminas zuchari amantes.

Le Brãle riuiere. *Branlia* è Vindocinensium finibus ortus *S. Reginaldi* oppidulum præterfluit, deinde in Ligerim labitur.

Le Cher riuiere. Ad *Carum* flumen & alios, qui ex agro & finibus Biturigum fluunt in Ligerim, aut è Lemouicum & Pictonum remotioribus locis decurrunt, nunc venio. *Molucionum* oppidum Boiorum qui nunc Borbonienses vulgo appellantur Carus alluit, venitque nouem leucis supra id oppidum è fonte, qui non procul abest à *Saluertio* nobili prædio. Carum quidem quod sciam nullus auctor antiquior Gregorio Florente Episcopo Turonum sic appellauit. Is apud *Virsionem* oppidum quod Philippus sextus Francorum Rex *Virsanam* in pu-

Molusson.

VIERSON.

blico inſtrumento vocat, eodemque *Auaricum* amnem accipit qui Gallicè *Auvron* dicitur, à cuius nomine mater vrbium Bituricarum AVARICVM Iulij Cæſaris temporibus ſtante adhuc Republica Romanorum vocabatur, quod ad eum & paludes ſita eſſet, quæ temporis lapſu & humana induſtria exſiccatæ ſunt. Sidonius vrbem Biturigum *Bituricas* appellat, ac de Virſione quidem in agro Biturigum dici ſolet hic verſus,

LIGER.

Auuron riuiere.

Virſio villa virens, aliunde multa requirens.

Sanè quinque amnes Bituricum vrbem acceſſu ſuo plurimùm ornant, *Auaricus* & *Auvreta* & *Elaueriolus* ex vna parta, *Eura* & *Molus* ex alia. E fonte mediocri inter Dunũ regiũ & Molinas fluit alius amnis qui Elaueriolus appellatur, & continuato curſu duodecim leucis Auarico permiſcetur prope Bituricam vrbem. Cæſaris ipſius teſtimonio conſtat Auaricum pulcherrimam prope totius Galliæ vrbem ferè ex omnibus partibus flumine & palude circundatam, vnum habuiſſe & perangustum aditum. Nunc autem non vrbi Biturigium,

LIGER. sed Auarico amni hoc nomen solum tribuimus, qui à meridie fluens iuxta muros vrbis quos alluit, ad portam, vt nunc dicitur, Avvroniam lapideum pontem habet, ex quatuor aut quinque fornicibus constructum. Quatuor autem leucis à Biturigum vrbe in Carum se effundit, amnis quoque alius, cui *Evura* Gallicè *Vvrette* nomen est, vrbem ingressus extra eam propè Sulpitiani Monasterij ruinas acceptâ superiore fluuij Avvronis aquâ, apud Virsionem quatuor milliaribus ab vrbe distantem. Ac propè portam Sulpitianam periculosissimus gurges cernitur, qui formidabilis & nauiculis esse debet, & natatoribus, quorum plurimi maximè studiosi Iuris Ciuilis mergi solēt. Nec in minus periculum incidunt omnis generis natatores. In Carum quoque influit & *Theolius* modicus amnis iuxta *Exoldunum* oppidum decurrens. Et *Tornanima* illud ingrediens contra solis ortum fluit, quod rarum est. Porrò Exolduni vina annis viginti & amplius seruantur: is amnis oritur è fonte, cui *Theolio* nomen est disparato quatuor

Theol riuiere.

leucis, alueus eius latitudinis triginta pedum & amplius, satisque altus, aqua limpida riuulusque eius extra Exoldunum deducitur. De eo oppido Armoricus loquitur Philippidos libro secundo. LIGER.

----- nobile castrum
Vcelloduni sibi subdit in impete primo,
Cum patria tota tam diuite, tamque potenti
Vt sibi sufficiat, nec sit mendica bonorum,
Multa quibus regio se lamentatur egere,
Copia quam Cereris ditat, quam Bacchus inundat;
Qui comportari desiderat inde remotas
In partes, quantoque magis portatur, eo fit
Fortior, & temerè portatus inebriat omnes
Qui dedignantur Thetidem sociare Liæo.

Yeuura verò amnis qui *Magdunum* alluit in Carum labitur, quatuor autem leucis à Biturigum vrbe situm est, Aimoinus cap. 1. lib. 3. *Biturigum* *Yeure* riuiere. *Mehum sur Yeure.*

LIGER. *ges apud Castrum Mediolanense*, inquit, *quod nunc Magdunum dicitur quindecim armatorum millia Desiderio Duci opponentes cum eo conflixere, vrbemque obsidione cinxerunt.* Et literæ Caroli Regis anno millesimo trecentesimo vicesimo secundo datæ, dicuntur *Magduni secus Euvram*, à posterioribus tamen *Medunum* pro Magduno dictum monemus. *Naum* fluuiolus in vita S. Genulphi cap. 16. lib. 1. memoratus, paulo infra Exoldunum *Saldriam* maiorem accipit. Nam minor vltra *Capellam Gilonis* in maiorem fluit, minor autem *Remorantinum* emporium emptionis & venditionis pannorum. *Poso* fluuiolus immergitur Saldriæ maiori, ac prope fontem situm est *Vastinium*, vnde nobilis familia Vastinensium nomen habet. Ille verò à *Concorcello*, quem *Concordiæ saltum* eruditi vocant, & *Albignino* dilapsus ad *S. Aniani* oppidum lapideum pontem habet. Deinde apud Bruti, nunc *Tricarij montis* munitionem, & *Chenoncellas* regiam admirandi operis in ponte structam, aliumque *Bleriæ* & duos iuxta Cæsarodunum siue Tu-

Naon riuiere.
La Sauldre riuiere.
Petite Sauldre riuiere.
REMORANTIN.
Poso riuiere.
VATAN.
Concressaut.
Aubigny.
S. Agnan.
Montrichard.
Bleré.

ronum vrbem, vltra quas riuus ex ea ad Ligerim ductus insulam Diui Cosmæ efficit, in cuius templo Berengarius olim ad sanitatem animi reuersus ab hæresi, & Ronsardus Vindocinensis nostrorum Poëtarum maximus sepulti sunt. Alter postea eiusdem Cari riuus prope *Linerias* ductus insulam constituit: tandem Carus ipse in Ligerim euoluitur. De eo aliquot testimonia celebrium authorum hîc referemus primùm ex Armorico Philippidos quinto, eius enim verba sunt. LIGER.

---- Sigalaunica plana serenant,
Frugifero iocunda solo latus inde sinistrum
Lenè fluens per prata virentia Carus amœnat.
Arboribus cultisque placens, patiensque carinæ,
Piscibus & multis iuuat vtilitatibus ipsum.

Secundum, eiusdem authoris Philippidos tertio his verbis.

Inde iter accelerat Turonis festinus ad vbem
Quam geminum nitida flumen circumfluit vnda,

LIGER. *Hinc Liger, hinc Carus medio sedet inter vtrumque*
Clara situ, speciosa solo, iucunda fluentis,
Fertilis arboribus, vberrima fruge, superba
Ciue, potens Clero, populis numerosa, referta,
Diuitiis, lucis & vitibus vndique lucens.
Quam sacrosancti præsentia corporis ornat
Præsulis eximij Martini, gloria cuius
Omnibus Ecclesiis summum decus accumulauit.
Quæ cùm sit Britonum caput & metropolis, vna
Bis senas sub se cathedras lætatur habere.

Nec de Biturigibus amplius dicam nisi quod omnino sciendum est. Rutilij enim Numeriani versu continetur:

Occurrit chalybum memorabilis Ilua metallis,
Qua nihil vberius Norica gleba tulit.
Non Biturix largo potior strictura camino,

Nec quæ Sardonio cespite massa fluit, LIGER.
Plus confert populis ferri fœcunda creatrix
Quam Tartessiaci glarea fulua Tagi,
Materies vitiis aurum lætale parãdis.

Et hoc quoque non ignorandum puto quod ex nostratibus Poëtis quidam scripsit:

Pascuis diues Biturix, & altis
Neustria siluis.

In iisdem Biturigum finibus *Anger* oritur supra *Castram* inter *Rodulphi castellum* & Monasterium *Dolense* Gregorio & veteribus notum, fluit, qui & ipse flumen de quo agitur *Angarim* vocat, & Gregorij quidem verba sunt. *Apud Dolensem vicum Biturigum* cap. 18. lib. 2. & post eum Gildas, & Aimoinus scriptor Floriacensis ante annos sexcentos scribit, *Accelerationem itineris cum inundãte profusione imbrium retardauere Aquitanici amnes, inter quos Andria despicabilis visu fluuiolus, sed crebrâ in multiplices discursus aluei sectione ac paludum aliquantis in locis ad transmeandum difficilis.* De quo ab accolis & exteris dici solet:

Indre. La Chastre. Chasteau-Roux. Deols. Bourg Deols.

Indre a tous les iours sa proye,

LIGER. *Ou d'vn costé ou d'autre, & s'y noye*
Quelqu'vn.

Id est, nulla præterit dies quin prædam Anger suam habeat. In vita Genulphi lib. 2. cap. 9. de situ Stradensis cœnobij agitur his verbis. *Est autem locus idem in penultima parte Biturici pagi versus occidentem admodum delectabilis seu iucundus. Nam è regione Fluminis Angeris cursus offertur, quod commoditate sui quammaximè iuuat incolas eiusdem loci: tum deinde circumquaque fertilis humus omni germine cum sui fœcunditate, tum etiam agricolarum opere.* Eidem cœnobio Stratensi subiicitur *Monasterium S. Petri* in territorio Niuernensi situm, vt dicitur cap. 13. lib. secundi in hunc modum. *Hic igitur venerandæ memoriæ Dodo pro sibi competentibus causis aulam expetiit Domini Caroli Regis: aderant verò tunc in palatio fratres ex cœnobio S. Petri quod est in territorio Niuernensi grata satis positione situm inter duos amnes Ligerim & Elauerem.* Deinde subiicit: *Rex proprio cõfirmauit scripto regium præceptum, ac proprio corroborauit edicto, vt iam dictus sancti Petri locus*

S. Pierre le Moustier.

à præfato Abbate Maynardo, suisque successoribus Stradensis scilicet Monasterij rectoribus perpetualiter possideretur, & regeretur. Igitur non procul à Monasterio *S. Genulphi* Anger fluit, mox *Castillionem*, tum *Lucas* oppidum, arcemque munitissimam: de qua Armoricus Philippidos libro octauo sic ait: LIGER. *S. Genouïl. Chastillon. Loches.*

Nobile castellum, quod Lochia nomine dicunt,
Cui nec fruge solum, nec Baccho vitis auara est,
Endria cui magnum decus addit & vtilitatem,
Dulcibus irriguis hortos, & prata rigando,
Qui cùm sit gratus visu, fœcundus & vsu
Multimodo patriam iuuat oblectamine totam.

Et Glaber Rodulphus lib. 2. cap. 4. *Fulco*, inquit, *Andegauensis ædificauit Ecclesiam admodum pulcherrimam in pago scilicet Turonico milliario interposito Lucense castro.* Idem lib. 4. cap. 17. *Fulconis ait Andegauensis corpus in Monasterium Lucacense quod ipse construxerat delatum*

LIGER. *est, & in eodem sepultum honorificè.*

Cormeri Anger postea *Cormeriacum* fluit, patriam Ioachimi Perionii Benedictini Ordinis, qui primus Aristotelem docuit Latinè loqui; nec magno interuallo accrescit aquis *Eschendonis* & *Angeruli* riuorum, *Basonis* arcem petens tredecim lapideis pontibus ornatus paulo infra Carum in Ligerim effunditur. Habet autem in ripis suis plurimos fontes limpidissimos, altissimisque marginibus, ac nisi frequentes molæ obstarent, nauigiorum patiens esset. Troctas, carpiones, barbaculos, lucios nonnumquam longitudinis quinque pedum piscari in eo notissimum est. Indi coloris aquas habet, neque rapidè, sed leniter & sensim in Ligerim quoque labitur. In eam etiam defluit *Beuero* & *Cusso* *Camborinum* insulam adiens, in qua Franciscus primus regiam sibi ædificari iussit.

Eschandon r. *Indrois* r. *Montbason.* *Beuvrõ* r. *Cussõ* r. *Chambourg.*

Restant duo fluuij magni nominis à Lemouicibus labentes, scilicet *Vigenna*, & *Crausia*, quam in Vigennam cadere notum est. Ita enim Sulpitius de Martini exitu loquens. *Apud Condatensem* (inquit) *diœcesis*

La Viene r. *La Creuse* r. *Cande.*

ſuæ vicum, excedens à ſeculo migrauit LIGER.
ad Chriſtum. deinde addit: *Si mos antiquitùs inſtitutus ſeruatur, in vrbe qua ordinatus eſt habebit Deo iuuante ſepulchrum. His ergo litigantibus ſole ruente dies clauditur, corpuſque in medio poſitum ab vtroque populo, Pictauienſi ſcilicet & Turonenſi cuſtoditur, futurum vt mane facto à Pictauis per violentiam auferretur. Denique nocte media Pictaui ſomno cõprehenduntur, nec vllus ſuperfuit, qui ex hac multitudine vigilaret. Igitur vt Turones eos cõſpiciunt obdormiſſe, apprehenſam ſanctiſſimã glebam alij per feneſtras eijciunt, alij à foris ſuſcipiunt, poſitamque in nauim cum omni populo per Vigennã fluuium deſcendunt, ingreſſique Ligeris alueum ad vrbem Turonicam cum magnis laudibus pſallẽtium dirigunt greſſum. Pictaui expergefacti nihil de theſauro quem cuſtodiebant habentes cum magna confuſione ſunt reuerſi, & ciues Turonici tripudiantes, cum ſanctiſſimi viri corpore ad vrbem Turonum ſunt regreſſi.* Eſt autem *Candatenſis vicus* Cande.
in Turonum diœceſi iuxta Ligerim
poſitus, nec procul à caſtello nobili Montſo-
Sorellio vnde ruſticum adhuc in vi- reau.

Liger. cinia prouerbium est, inter Candatum & Sorellium vicos nec ouem, nec vitulum pascere, quia proximi & penè contigui sunt, vnde dicterium accolarum,

Entre Cande & Monsoreau
Ne repaist brebis ne veau.

Candatense autem Templum mausoleo Martini atque effigie exornatum erat, ante bella pro Religione exorta. Nam tunc Caluinianæ sectæ milites omnia templi ornamenta confregere. E regione Candatensis vici interiecto flumine, situs est vicus, *Capellæ albæ*, ita vocatus ab Odone Cluniacensi, à qua duabus tantùm leucis distat *Burgolium* monasterium Sancti Benedicti. Baldricus ita orditur historiam suam: *Baldricus Burguliensium fratrum Abbas, licèt indignus, omnibus Christianis pacem & veritatem diligentibus.* Quæ historia expugnationem vrbis Hierusalem, & sacri belli narrationem complectitur.

La Chappelle blanche. Bourgueil.

Verùm quia in Vigennam labitur *Crausia*, de eo priùs dicendum. Oritur hîc fluuius in finibus Lemouicum vna leuca supra *Filetinum*, exiguum

La Crausse riuie. Feletim.

oppidulum superioris Marchiæ, cuius caput est *Garectum* Regiæ iurisdictionis. Nam prætorium inferioris apud *Oratorium* visitur, infra quam est riuus vici *Couturensis* culti olim, cùm hodie vestigia ædificiorum adhuc videantur. Est autem Filetinum positum in via militari, quâ itur à Lemouicibus matre vrbium totius regionis Episcopatuque gentis, Aruernum seu *Claromontem*, quem ita vocat Robertus belli sacri scriptor cùm ait, *Anno Dominicæ Incarnationis millesimo nonagesimo quinto magnum inter fines Galliæ concilium celebratum est in Aruernia scilicet ciuitate, quæ Clarus mons appellatur, cui Papa Vrbanus secundus præfuit.* A Feletino vbi aulæa texi mos est, *Albiconium* oppidulum videas in quo tapetes similiter in vsum Galliæ confici consueuere. Id Crausa alluit à fonte sic dicto nomen accipiens. *Agedunum* exiguum oppidum vbi est Monasterium Diui Benedicti, ac propè Crausiam vbi mirabilis gurges, cuius aqua Indici coloris in flumine aspicitur. *Glinium* oppidulum sequitur suo ponte nobilitatum. Inde *Frozelinas*

LIGER. *Garet.*

Le Dorat.

Aubasson.

Abu.

Glenie.

Froyselines.

LIGER. labitur, propè eas excipiens Crausiæ minoris influentes aquas, moxque *Argentonium* in finibus Biturigum alluit, quod oppidum Philippi Cominij fuit præclari historiarum scriptoris. Deinde *Oblincum* interluit eiusdem regionis oppidulum, postremò *Haiam* in Turonibus alluit, ligneumque pontem ibi habet. Decurrit postea vsque ad *portum Pilæ*, sic dictum Latinè in veteri historia Comitum Andegauensium, quò nunc ligneum pontem, qui Vigennæ apud *Castrum Heraldi* seruiit, translatum accepimus ad vitanda tam peditum quàm equitũ penè quotidiana naufragia, quod tandem effectum est loco lignorum, suppositis pilis è quadrato lapide firmissimis. His in locis hoc flumen non ampliùs Crausia, sed *Creusia* iam appellatur Gallicâ voce, quia alueum strictũ profundumque & altum habet. Nec procul, sed infra pilas, effunditur in Vigennam eo loco quem *Beccum duarum aquarum*, id est fluuiorum, vulgus appellat. Et ne quid amplius dicatur piscosus admodũ est Crausia. In eum autem labitur *Vartampa* amnis, vt in vita Sa-

Lapetite Crause, 1.
Argentom.
Le Bläc en Berry
La Haye en Touraine.
Le port de Pile.
Creuse.
Le bec des deux eaux.
La Gartampe 1.

uiniani & Cypriani martyru legitur LIGER.
his verbis: *In pago Pictauiensi est locus qui prisca antiquitate Confluentium dicebatur propter confluentem in fluuio Crosæ Vartimpam fluuium.*

Vinconus supra *Belacum* oritur ac *Vinconr.*
subluit rupem suppositam muris il- *Belac.*
lius oppidi, acceptoque dimidia post
leuca riuo *Basilia* in *Vartampam* *La Basile r.*
influit. Hic enim inter Belacum &
Oratorium fluit, & pons quem tran- *Le Dorat.*
sire oportet Vartampæ impositus,
Bessæ nomen habet. Vartampæ verò
piscis bonitate & gustu inferior est
Vinconio, & hic Basiliano quoque
cedit, vt accolæ affirmant. Ita fit
plerumque, vt riuulorum piscis esu
præstet, gratiorque sit quàm maio-
rum amnium. Postea verò Vartampa
Maurilionis municipium interluit, *Monemorillon.*
acceptoque *Anglino* fluuiolo in Crau-
siam tandem influit.

Cæterum *Vigenna* amnis in finibus *La Vienne ou la Vignane.*
quoque Lemouicum oritur, nec Vi-
gennæ nomen apud eos habet: *Vi-*
gnanam enim vulgus appellat. Fons
eius non procul à *Tarnaco* oppidulo *Taurion & Aurance.*
situs est. Recepto postea *Taurione*, &
Aurantia fluuiolis decurrit in Vigen-

LIGER. nam; in cuius Aurantiæ ripa Ioannes Auratus Poëta regius didicit versus scribere. Is *Mane pransus* cùm appellaretur, & displiceret impuberi id cognomen, Aurati ab Aurancia nomen accepit. Vigenna verò matrem vrbium Lemouicarum in qua Episcopalem sedem habet, alluit. In vita Sancti Martialis, facta fluuij mentione addit auctor, *Et cùm iter facerent, cõtigit vt deuenirent ad quoddam regale palatium vocabulo Iogeniacum duabus leucis à Lemouica. Fixerunt autem tentoria, & papiliones omnes Principes & Comites è diuersis regionibus coadunati super Vigennam fluuium. Æstuantes autem calore Solis, ibant ad fluuium, ardorem pariter sudoremque vitare cupientes. Brancia* exiguus amnis oritur apud *Sanctum Vitum, Petram Buffariam*, & *Chalucetum* fatale oppidum Ricardi Anglorum Regis, alluit, ac permiscetur Vigennæ, à *Solemniaco* monasterio distans tribus aut quatuor leucis. De eo Aimonius historicus: *Eligius petit à Dagoberto donari sibi villam in pago Lemouicensi sitam Solemniaco cognominatam, in quo & Mo-*

Brance riuiere.

S. Vitus.

Solemnac.

nasterium construxit, & congregationem Deo seruientium monachorum. LIGER.
Elsa quidem oppidulum est, in quo optimi panis conficiendi ratio est, qui in vrbem Lemouicam statim infertur, vocaturque ab eis Elsianus. Et beatus Austrecliamus vnus è comitibus S. Martialis vita excessit. In loco qui Else vocatur, nunc *Aixe*. Abest à *Lemouico* duabus tantùm leucis, de quo in vita eiusdem Martialis mentio fit his verbis; *Est ciuitas in prouinciis Galliarum prophano vacans errori, nomine Lemouix*. Et verba superiora de morte Austrecliani in eiusdem vita continentur. Postea non procul à *Sancti Iuniani* oppidulo sub lapideo ponte fluit, mox apud *Cabanesium* oppidum, natalem locum Ademari historici, monachique Sancti Martialis Lemouicensis, deinde ad *Confluentes* dictus est. Indeque fluit versus *Insulam Iordanis*, postea *Cauuiniacum*, exin apud *Castrũ Airardi* vrbem in Pictonibus, lapideum pontem pulcherrimum firmissimumque publico sumptu constructum, habentem. Hic verò nauigiorum patiens Vigenna esse incipit, la-

Aixe. LIMOGES.
S. Iunien. oss S. Iuniã. Chabanois.
Confolant.
L'Isle Iourdain
Chauuigny.
Chastelerant.
L'Isle Bouchard.

LIGER. biturque versus *Insulam Burchardi*, cuius in Iure Canonico mentionem fieri & ipse memini, & qui volet reperiet. Tandem apud Candatensem vicum Ligeri permiscetur, vt supra demonstratum est. In Vigennam quoque *Clianus* Pictonum amnis, qui *Planus* etiam dicitur, vt tradunt Annales Aquitanici, quòd altis ripis sit ac plenus dormientibus aquis, & quodammodo residibus: angusti strictique aluei & leniter fluens, vt aquas penè resides habere videatur. Qui amnis aliud etiam nomen habebat, vt ex literis Ecclesiæ Pictauiensis apparet his verbis: *Ecclesia sancti Clementis sita est super ripam fluuij Clennis in villa quæ dicitur Cassinolium duobus à Pictauio passuum millibus.* In iisdem literis hæc verba quoque reperiuntur. *Aymericus Capellanus S. Clemẽtis de Cassanolio perrexit in Hierusalem cum Comite Pictauiensi, & remansit dicta Ecclesia sine Capellano.* Et olim quidem propter obices inculta erat, nunc illis remotis, nauigatur. Clanus vero *Viuonam* decurrens *Vonnam* fluuiolum accipit, oriturque nõ procul à Monasterio opu-

L'Isle-Bouchard.

Le Clan I.

Chassenevil.

La Vonne.

lento Cisterciensis ordinis, cui *Castellare* nomen. Inde fluit *Menigut-tam* Canonicorum collegium, *Busseam*, *Sansayum*, *Cuisaium*, & *Iazenelium*, indeque *Lusinianum* Castrum ciuilibus bellis euersum; postea *Viuonam* vbi non procul à Clano excipitur. Abundant piscibus diuersi generis, troctis exceptis. Amnis quidem periculosus dum inflatur. Insunt in eo plura saxa quæ grisones vocant.

LIGER. *Le Chastellard.* *Menigoutte.*

Cloera riuulsus è *Marka* apud Lemouices oriens, parrochiam quæ *Ianceya* dicitur alluit, post adit *Trancartium*, vbi hyeme nauiculis transitur, & prope Viuonam Clanum ingreditur. Carpionibus & luciis caret, sed minutissimo pisce abundat. *Nobiliacus* nomen est cœnobij insignis duobus à Pictauio millibus, & à *Malepertuso* vnico milliari tantùm distans. Et *Mossa* exiguus amnis hoc loco influit in Clianum, vocaturque *Medioximus* in veteribus eius Monasterij chartis, Auditorij Pictauiensis, in quo Ius Ciuile & Canonicum exponi mos est, ad Abbatiam *Sancti Benedicti*, quæ est Pictauensiũ deambulatio, concursus fieri solet

La Cloëre r. *Iansey.* *Le Trãcare.* *Noaillé.* *Maupertuis.* *Miossan r.* *S. Benoist de Quency.*

LIGER. ab otiosa iuuentute, cui statim per locum duos pedes strictum, & duas vt vocant thesias longum, necessariò prætereundem est, quia non sine periculo id fieri potest propter præsens & adeò metuendum precipitium in rupes, & subiectum Clanum, qui Pictauiam præcipuam vrbem totius regionis alluit. Inde progressus Vigennam ingreditur vltra *Pictauium vetus*. Hoc flumen impeditis altisque ripis à Pictauio Episcopali vrbe vsque ad exitum seu ostium eius nauigabile nuper efficere Pictauienses publico sumptu curarunt. De hoc fluuio vulgò dicitur:

Passelourdin.

Au port de Senom
Le Clan perd son nom.

Ioannes Sarisberiensis in præfatione Policratici librum alloquitur, aitque:

De Pictauorum dicis te gente creatum,
Nam licet his lingua liberiore loqui.

Loire. Liger postea tot iam receptis amnibus alluit Salmurum, de qua Macrinus Poëta lyrycus hos versus scribit.

SAVMVR. LODVN

A Iuli oppidulo bis septem millibus absunt
Quæ muri à saltu mœnia nomen habẽt.

Idemque

Idemque iterum. LIGER.

Indiga aquis est Iuli tellus, Salmurica rura
Latiuago fluuius permeat amne Liger.

Tametsi in Commentariis Maioris Monasterij reperio non *Iuliodunum*, sed *Laudunum* appellari, & à quibusdam historicis *Louiodunum*, & ab Ademaro Cabaneo *Losdunum*. Salmurus in Aquitanica ripa situs est, arcemque in edito colle positam habet, & lapideo ponte iungitur. In conspectu illius vrbis est cœnobium *Diui Florentij*, & *Thoeda* amnis qui in Ligerim influit, & *Varius* pagus in quo visitur riuulus qui singulis diebus bis tantùm fluit, bisque stagnat. Thœdus seu *Thoeda* flumen originem suam accipit à *Verone* in *Castinia* agri Pictauiensis sub *Partiniaco* oppido, deinde ipsum ingreditur, mox prope sancti Lupi & *Oruiacum*, tandem sub *Thoarcio* præcipuam sedem gentis Tramuliæ, posteà *Monstrolium Belaij* apud Andegauos, vbi nauiculas ferre incipit. Deinde fluit versus *Burgum pontis sancti Iusti*, indeque ad *pontem Fucharium* prope monasterium S. Florentij sub

Thoué.

Thoé, r. Vernon. Gastine. Partenay. Heruaux. Thoüars.

LIGER. Salmuro, quo loco in Ligerim effunditur. *Diua* Pictonum exiguus riuus oritur è fonte grandi & largo, qui viginti passibus ab ortu suo moletrinam agitat, videturque sub castello *Grimalderiæ* prope *Belleanum* in Pictauia. Inde currit versus *Burgum Matronum*: Vnde progressus amnis in duos riuulos diuiditur apud *Moncontorium*, quorum vnus oppidum ipsum interluit, alter alluit, ac prope fontem, qui totum fluuiolum effundit, nullo accepto riuulo in Thoedum decurrit. Ibi memorabile habitum est prælium inter Catholicos & diuersæ Religionis propugnatores, vbi Rex Carolus per Henricum fratrem postea Regem feliciter pugnauit. In cuius prelij descriptione Antonius Allegri° vir militaris de hoc fluuio sic ait:

La Dine, r.

Belleam. Bourg de Mayne.

Separat Andenses Pictonum Diuus ab aquis
Amnis, viscosaque vligine tardat euntes,
Et Moncontorij fœcundat pascua vici.

Et Ronsardus Ode 68.

Entre l'vne & l'autre riue
Dessus la plaine de Gron
De Thoé & de la Diue

Se rangent en escadron LIGER.
Enflez des-ja de la gloire.
Mais, las! ils ne sçauoient pas
Que ce grand Dieu des combats
Porte en sa maison la victoire.

Tandem infra pontem S. Iusti in Theodũ fluit, dein ad *Mottam Borboniam*, quæ est aceruus terræ congestæ, infra quam lapideus põs est. Hic amnis separat Pictones à Lodunensibus. *Thoeretus* amniculus est, fluens ac deriuans à *Chiciaco* Pictonũ, prope *Bressuiram* vrbem, deinde *Castellionum*, *S. Varnum*, *Condriam* vbi influit in Thoedum inter *Oruallum* & Thoarcium oppida. *Thonnus* exiguus riuulus ab oppido *Maleonensi* in finibus Pictonum propè *Argentoniam villam* cui *Castello* nomẽ, ad põtem, cui virginis etiam nomen maiores imposuere, deinde apud *Monstrolium Barlaij* labitur in Theodum. Sub *Lauduno* vrbe amnis visitur vulgari nomine *le Martreil*, qui oritur ex certis fontibus sitis in vno è suburbiis vrbis, deinde progressus longius effunditur in *Diuam* apud pontem S. Iusti. *Brianda* exiguus amnis Lodunensium oritur è fonte dicto *Bedo-*

Thoeret, r.
Chisse.
Le Thon, r.
Mauleon.
Monstreil Bellay.
Briande, r.

LIGER. *Enguesne.*

ria, infra burgum mõtis, super *Guaisna* monasterium virginum Fontis Ebrauldi, qui fons largior est tertia parte arpenni terræ, idemque ex alto fundo plurimis in locis perpetuò feruet: vnde tanta vis aquæ erumpit, vt solus hic fons mille passibus ab ortu moletrinã agitet, dictumque monasterium alluit, indéque Briaudam vicum, posteà burgum sancti Gratiani, effunditurque in Diuam. *Busse*, r. paruus admodum amnis est, qui è fontibus prope Lodunum progressus, in vicum sui cognominis euntibus è *Cainone* oppido Gregorio Turonensi celebri cap. 17. lib. 5. Inde versus Monasterium *Sullienſe* fluit, postremò effunditur in Vigennam duobus millibus passuum à Cainone. Regionis verò Andium flumina paucis versibus Poëta Paschasius Robinus in hunc modum est complexus.

L'Aution r.
Le Layon r.
Le Loyr r.
Oudõ r.
Thoe r.
Sevvre r.

Arua quod Andicolum rigat Altio,
Laio, Lidus,
Vdo, Thueda, Liger, Sarta, Vigenna, Sebris,
Latanus, ac medio amne secans vrbem Meduana,
Et Lironus veteri nota Camillicola,

Nec non & celebri Versutia valle Credoni
Atque Coëno sua nobilitatus humo.
Præterea Bridiis Albantia grata colonis
Quæ Cossæa domus laudibus vna nitet.

LIGER. Le Latan r. Lirome r. Cheuillé. Vresere. Craon. Bridiers

Quorum fluuiorum alij in Aquitanica ripa, alij in altera quærendi sunt, nec præter *Glanafolium* Monasterium Diui Mauri sedem ac sepulchrum ad Ligerim edito in vineis loco positum quicquam dicturi sumus, nisi quod Faustus Cassinensis in vita eius Glanafolium nominat. *Altio* in Ligerim infra *pontes Ceios* decurrit. *Laio* quoque apud vicum *Calumnam* quinto aut sexto milliari infra Andegauum. *Vdo* oritur in Britaniæ finibus è stagno, alluit *Leontum* altissimum sanè fluuium, & ripa coercitum, angustoque alueo, piscium ferax, non planè delicatorum. In Meduanam influit, tribus ferè passuum millibus ab eadem vrbe. *Sebris* per *syluam Sebrianam* defluit in * *Latanus* ex ingenti stagno parrochiæ *Rillæ* circa *Baugeium* in Altionem se effundit. *Lironus* per Camilliacum è stagno ortus sexto milliari à matre

S. Maur sur Loyre.

Les ponts de Cé.

La forest de Sevure.

LIGER. vrbium Andegauensium accipitur, nec longè à *Credonio* exiguus amnis *Versutia* in Vdonem mergitur *Coëno* è stagno profluens in Altionem decurrit. *Albantia* è stagno *Brigidisacci* influit in *Iocarem*. Nunc venio ad pontes Ceios qui Cæsariani putantur, per quos Liger longiùs excurrit, ac primum in alia ripa, quæ Andegauum vrbem aspicit, ad *Buccã Meduanæ* fluuij in ostium eius id flumen suscipit ab *Andegauo* veniens pulcherrima vrbe Andium, quam Meduana ipse interluit ponte vno atque altero ornatus. Apud *Clissonem* Meduana nomen suum amittere à popularibus dicitur his verbis:

Brissac.

La bouche du Mayne.

Au lieu de Clisson
Mayenne perd son nom,

In vita Mauritij Andegauensis Episcopi legi hæc verba; *Cùm per Meduanæ fluuium nauali subuectione in Ligeris alueo securè descenderet Mauritius.* Ac paulo supra Sarta & Ledus; ille Cenomanorum, hic Carnutum ex agris fluens, vt mox dicemus, apud insulam Sancti Albini triangularem influit in Neduanam. *Meduana* oritur in finibus Cenomanorum qua

Mayenne r.

illi separantur à Lugdunensi secunda, seu Normania, longoque cursu *Meduanam* sibi cognomine oppidum alluit, quod quidem ne quis aberret *Iubelam* à nomine domini dici cœpit ab anno millesimo ducentesimo vicesimo, vt ex eius epitaphio perspici potest in Monasterio *Danielis fontis*, prope Meduanam. Hic autem fluuius incredibili lenitate fluit, etsi Gregorius Turonensis torrentem eum appellat: Labitur quidem & alluit *Lauallem*, seu *Vallem Guidonis* diues oppipum, & *Gunterij castrum*. Deinde accepto *Volone* apud Leonium Andegauorum, mox Sartam qui Alançonium claram vrbem Sesuuiorum secũdæ Lugdunensis alluit, tum Episcopalem Cœnomanorum, quæ & ipsa tertiæ Lugdunensi tribuitur. Vnde progressus in fines Andium *Sabolium* interluit, postea in Meduanam euoluitur. De Sarta quidem referre placet quod Theodulphus Aurelianensis Episcopus scripsit Moduino Heduorum Episcopo:

LIGER.

Mayenne la Iubel.

Fontaine Danel.

LAVAL *Velon* r.

Lyon d'Angers.

ALANÇON.

Le MANS.

SABLE' *Sarte* r.

Tempore præterea hoc, quædam miracula visa

LIGER. Dicuntur, breuiter hæc quibus ista canam.

Et fluuius Sartã Galli dixêre priores:
Perticus hunc gignit, & Meduana bibit.
Fluctibus ille suis penetrans Cenomanica rura,
Mœnia qui propter illius vrbis abit.
Quod ciues transire solent propè lintribus illum,
Illic portentum non leue fecit eis.
Denique roscidulas tenebras cùm aurora fugaret,
Et solito peterent more fluenta homines,
Est propriis spoliatus aquis locus ille repertus
Qui rate, seu remis peruius ante fuit.
Stantibus atque vndis populus hinc inde stupebat
Alueus ac plebem ad inferiora vocat.
Nemo ratem quærit, nullus te, nauita, poscit:
Miranti populo sic stat aperta via.
Et metus, atque rei nouitas intrare vetabat
Primitùs, & sensim cœpit abire metus.
Incipit esse vetus noua res, intratur vtrinque

Alterutram ripam, plebs petit atque pecus. LIGER.
Vel pes ei siccus, modicum vel planta madescit,
Dum gradiens populus itque, reditque frequens.
Si olim tale vadum iuuenis Leandrus haberet,
Non foret insignis tam tibi luctus,

ERO.

Non ad piscandum quisquam fert rete, vel hamum:
Sallibus, atque manu, qui volet illud agit.
Vir tumulandus erat ripæ vlterioris in agro,
Flentibus euehitur, per loca sicca, suis.
Illa sat vrbs timuit, peteret ne se vnda tumescens,
Obrueretque simul compita, rura, domos,
Saxa patent ignota polo, polus ipse patescit
Saxi, cum proprium linqueret humor humum.
Quod vada nulla dabas pediti illic, Sarta dedisti:
Grande vadum caligas cum iua

LIGER. saxa stupent.

Sarta aliis vicibus hoc ipsum est passa duabus;
Nec hoc, nec procul hoc tempore, sine loco.
Quis neget antiqui cum me meminisse tropæi,
Quo fluuium scindit, & idrichonta quatit.
A prima in quartam modus hic deffluxerat horam,
Inde suas repetit post celer vnda vias.
Nomina non ideo narrantum scripsimus istic,
Sunt quoniam plures, qui cecinere mihi.
At si nosse rei vis lector tempora gesta;
Accipe: promemus sub breuitate tibi.
Forsan nosse diem vis hunc quoque: disce, canemus
Vt res ambigui possit habere nihil.
Bis partem vnde nam solidi rota solis erat.
Aquari
Scanderat in sexta lunaque piscis erat.
Vigne Tale quod asseuerant flumen Idonea
B. passum,
At quod ab vrbe fluens sat prope
Sarta bibit.

Quære locum ex aliis Dei tibi tempora LIGER.
dicam,
Crastina præfatæ res fuit ista rei:
Hunc quoque defectum quod passa sit
Angera dicunt:
Sed locus atque dies sunt mihi nota
minus.

Cùm autem de fluuio *Idonea* Theodulphus loquitur, intelligendus est *Vinea* amnis, qui in pratis extra vrbem Cenomanorum Sartæ permiscetur: Qui amnis ab occasu alluit muros vrbis Cenomanorum, & ab ortu Vinea hic quarta parte milliaris vnius infra eãdem vrbem in Sartam influit. Ac de Sarta quidem legi versum hunc nobilis poëtæ. (*alter.*

Venimus ad Sartam, quo non est purior

Aquam argentei coloris & perspicuam, atque vt ita dicam, vitream trahit. De eadem Sarta hic quoque subijciam ex vita S. Leonardi quod sequitur. *Sancti Leonardi Monasterium quinque leucis abest ab vrbe Cenomanorum, situmque est supra Sartã miseréque afflictum.* In eadem vita hęc quoque legimus. *Sanctus Leonardus tempore S. Innocentij Episcopi pagum Cenomanicum fœliciter illustrauit: de-*

LIGER. *inde idoneum reperit locellum ſuper fluuium qui dicitur Sarta, qui vſque in hodiernum diem eiuſdem nominis vocabulo inſignitus, & ſancti Leonardi Cella nominatur, & fabricauit ibidem Eccleſiam in honorem ſancti Petri Apoſtoli principis.* Belliloci in Cenomanis Abbatia ſita eſt prope Sartam. Hic amnis ferax eſt carpionum atque troctarum. Meduam etiam *Ledum* ad ſe fluentem excipit, oritur autem circa *Iſteras* Beſſi oppidulum, quod Fulbertus Carnutum Epiſcopus in Epiſtolis nominat. Poſtea *Allogium*, eidem Fulberto memoratum, & *Bonamuallem* ordinis Ciſtercienſis, acceptoque lacu Dunenſi, *Dunum Caſtrum* in edito ſitum loco, vnde deſpectus in planiciem eſt, præterfluit, & paulo inferius *Arulam* excipit, de quo Aimoinus hoſtoricus libro tertio ſic ait. *In lacu quoque Dunenſi in quem Arula flumen influit, aqua feruens adeò ebulliuit vt multitudinem piſcium decoctam ad littus proiecerit.* Duni Gregorius Turonenſis mentionem facit. Duni habitantes feruntur ſubtili eſſe ingenio, & ab vno verbo

Le Loire.
Iſliers.
Alluye.
Bonneual.
Chaſteaudun.
Aigrer.

quod protuleris sensum animi tui concipere. Vnde natum prouerbium. *Il est de Chasteaudum, il entend à demy mot.* Arula vero in Ledum influit, ad *Arulæ Buccam*, id est ostium, vt vulgò indigenæ loquuntur. *Erdera* duobus passuum millibus à Castroduno quamprimum ortus est è fonte, terra absorbetur, vnde modico spatio interiecto erumpit, postea iterum se abdit atque videri desinit vnius leucæ spatio, deinde egressus in Ledum defluit. Exin *Vindocinum* Ptolomeo cognitum municipium alluit. Armoricus Philippidos tertio de Ledo & Vindocino sic ait:

LIGER.

Aurule, r.

Bouche d'Aurule.

Erdre R.

VENDOSME.

——— *Vindocinum*
Castrum forte nimis, populosa gente repletum,
Quod Lidericus aqua subterfluit amnis amœna.

De eodem & aliis aliquot amnibus idem Armoricus sic ait lib. x.

Durstallumque vadis vbi Sarta adiutus Hienæ
Te mixtum Liderice sibi rapit Meduana.

Petrus Ronsardus Vindocinensis Poëta eximius sic de patria sua lo-

LIGER. quitur Ode tertia.

Terre à Dieu qui premiere
Entes bras m'as receu,
Quand la belle lumiere
Du monde i'apperceu:
Et toy Braye *qui roules*
En tes eaux fortement,
Et toy mon Loyr qui coules
Vn peu plus lentement.

Montoire. *Le Lude.* *Chasteau du Loir.* *S. Calais.*

Progressusque *Montoirium Ludium-que*, Castrum Lidi quem incolæ vocant, cùm Ledum oporteat dicere Sidonij testimonio, qui ita vocauit. Ainsulam Cenomanorum Monasterium S. *Carilephi* apud Vsuardum in Martyrologio legimus. De quo in Nicolai primi, Pontificis Romani, epistolis mentionem fieri moneo. In vitaque Carelephi hæc sunt verba. *Dominus perduxit Carilephum & socios in locum solitudinis qui Casa Iagani priscis dicebatur temporibus, super fluuium quem Ainsulam appellant, vbi multi fontes frigidas fundunt aquas; à quarum frigiditate fluuium volunt sumpsisse vocabulum, tamquam ab aino id est tremo, & insula dicta est Ainsula, hoc est tremoris & frigoris insula, atque hinc etiam anates*

volucres dictas putant, quod semper in aquis versari eas delectet. Erat autem is locus valde solitarius & nemorosus. Quæ notatio verbi in vita huius sancti parum scitè vt opinor, ab auctore posita est; primigenium enim esse puto Ainsulæ nomen. Hic autem fluuius in Lædum fluit, sicut & vicinus *Feritatem Bernardi* à conditore dictam alluens. *Huinnis* è Perticensium agro etiam permiscetur. Est riuulus de quo in vita Bernardi apud Abbatis villam nati hoc tantum habemus, *Iuxta riuulum qui Tyron dicitur.* In Pertico igitur Prouincia, quæ Goëtica appellatur, is amnis sumit originem, decurritque in Huinem. De quo & Iuo Carnotensis epistola 229. sic ait: *Rotrocus nobilis & strenuus Mauritaniæ Comes humilitatis nostræ præsentiam adiit, postulans vt consecraremus cuiusdam Cœnobij cœmiterium quod situm est super fluuium qui Tyron vocatur, in vsum quorundam religiosorum monachorum qui in eodem loco Eremiticam vitam ducere elegerant, & monasterium ibi pro loci & temporis oportunitate*

LIGER.

Anisle r.

La Ferté Pernard

Huine r.

Tyron. r.

LIGER. *construxerant.* Tyronio adiicio *Musuuin* ex finibus *Eburouicum* fluentem, de quo idem Iuo Carnotensis epistola 124. sic loquitur: *Habent parrochiani nostri à nobis communione priuati apud Musuuim quosdam presbyteros & quosdam monachos à quibus communionem petunt, & accipiunt, qui etiam fluuium, vnde Musuuis vicus ille dicitur, transeunt, & in quodam falso cœmiterio corpora excommunicatorum sepulturæ tradunt.*

Musuuer.

Nec non eiusdem regionis fluuiolus *Braya* nomine seu Brigia ab Vnellis originem habens ad vicum *Braya*, deinde *Sauiniacum* fluit, & postea in Ledum excurrit, qui duabus supra Monasterium leucis fluere incipit, & totidem decursis Braya incipitur. Deinde *Fixa* à quibusdam imperitè vt mihi videtur *Fleschia* recens dicta, & *Durostallum* Andium oppida, permiscentur Sartæ amni nec procul in Meduanam decurrunt. Hic verò iam plenior in Ligerim se effundit, à cuius ostio Nannetas vsque progreditur. Est enim Britannia in duas diuisa partes, in superiorem in qua Nannetes sunt, & Redones, & Ve-

Brayer.
Vibraye.
LA FLECHE.
DVRTAL.

neti. Aliam in qua cæteri omnes Britanniæ populi, & maximè ij qui à Britannia maiori, nunc Anglia, venisse in illas partes existimantur, & sermone & lingua ab aliis Britannis plane differentes. Itaque Britones Gallos vocant superioris Britanniæ populos, inferioris verò Britones tonantes, quod non loqui, sed tonare videantur, & stridorem dentium edere. Ausonius quidem Poëta de Britonibus meminit illo versu, quod à nemine ante illum factum puto. LIGER.

Nemo bonus Britto est.

Igitur à pontibus Ceis occurrit *Calumna*, *Mons Ioannis*, Monasterium Florentij veteris, *Castrum Celsi* stagno vltra tria millia passuum longo nobile, dein *Ingrandia* & *Ancenisium* duo portoria magni nominis, quòd tributa rerum quæ extra regnum per Ligerim & Oceanum vehuntur, ibi solui præstarique oporteat. Apud Nannetas autem pons Ligeris est omnium, quos adhuc habuit, longissimus, propter latitudinem fluminis. Centum passus continere dicitur, & lapideus siue saxeus est, & *Pilmium* parrochia finem pon- LOYRE. *Pons de Cé.* *Monte-Iean.* *Chantoce.* *Ingrande* *Ancenis.* NANTES. *Loyre.* *Pilmy.*

LIGER. tis in alia ripa attingit, à sancto Na-
S. Nazare. zario vico eiusdem fluminis ostio
Nannetas vsque sunt leucæ circiter
Le Croisil. duodecim, & à Crociciaco mare re-
fluens Nannetas vsque fluctus Lige-
ris memoratur. Hanc vrbem etiam
Andre, interluit *Andra* amnis Ligerim pe-
r. tens, de quo Fortunatus de domno
FELICE Nannetico loquens, qui
fluuium alibi detorquebat.

Cedant antiqui quicquid meminere Poetæ,
Vincuntur rebus facta vetusta nouis.
Includi fluuios si tunc spectasset Homerus,
Cuncti FOELICEM *legerent modo, nullus Achillem,*
Nomine sub cuius crescceret artis honor.
Qui probus ingenio, mutans meliore rotatu
Currere piscafacis flumina lege noua.
Aggere composito, remouens in gurgite lapsum,
Quo natura negat, cogit habere viã.
Erigis hinc vallem, subdens ad concaua montem,
Et vice conuersa, hæc tumet, ille iacet.

Alter in alterius migrauit imagine formam, LIGER.
Mons in valle sedet, vallis ad alta subit.
Quo fuit vnda fugax, creuit pigro obice terra,
Et quo prora prius, huc modo plaustra meant.
Collibus aduersis flexas superinuehis vndas
Et fluuium docilem, monte vetante, trahis.
Quo rapidus flueres veniens celer amnis adhæsit,* Fluuium.
Et subito nato colle, retorsit iter.
Quæ prius in præceps, veluti sine fruge, rigabant,
Ad vitam plebis nunc famulantur aquæ.
Altera de fluuio metitur seges orta virorum,
Cùm per te populo parturit vnda cibum.
Qualiter incertos hominum scis flectere motus,
Qui rapidos fontes ad tua fræna regis.
Stet sine labe tibi, FELIX, *pia vita per æuum,*
Cuius ad imperium transtulit vnda locum.

LIGER. In vita Hermelandi Abbatis Antrensis reperio hæc verba. *Sunt insulæ quædam, ab hac vrbe Nannetis tribus disiunctæ milliaribus, quas Ligeris fluuius circumfluit, atque insuper mare exæstuans quotidie ter ambiendo alluit. Hermelandus comperit eam in longum obtinere stadia quatuor & viginti. Porro in aliarum insularum medio sita, in sublime sustollit verticem, montosa in medio, atque idcirco immunis ab inundatione tum Ligeris fluuij, tum æstuantis maris, tutam præbet incolis habitationem, nec desunt illi amplissima spatia, tum ponendis, colendisque vitibus, tum hortis quoque & pratis efficiendis oportuna. Nec patet ad eam accessus, nisi quis naui subuehatur. Habet verò etiam syluas densas. Quæ sanè omnia tum quoque nonnulla abstrusa loca virum Dei permouerunt vt eam Antrum vellet appellari, quemadmodum insulam ad Antrum sitam, hanc quidem spatiis minorem, sed habitudine vel specie illi finitima Antriginum vocauit. Eius vbertas alendis pecoribus valde oportuna, tanta suppetit piscium diuersorum generum copia vt res videatur incredibilis. Nec ta-*

men vulgi perſtrepentis illic audiuntur voces, ſed varij generis auium iucundæ reſonant melodiæ, & in ijs olores dulci fundunt modulamine cantus. Denique tantum illic ſilentium, tanta tranquillitas eſt vt Anachoreticam appetentibus vitam mirificum eremi deſiderium adferre videatur. Vt autem nullum damnum vel incommodum afferat, neceſſe eſt ipſum aggeribus contineri. De quibus agitur lib. 4. Capitularium Caroli magni, vt ſuprà diximus, idque à Bleſis vſque ad extremos fines Andium, quibus faciendis accolæ quotannis multum laborant. Lapides enim & ligna, cæteraque neceſſaria ab illis ſunt inferenda, ne quid detrimenti poſt refectionem aggerum patiantur: magnam verò copiam omnis generis piſcium id flumen ſuppediare ſolet, & inter cæteros præbere ſulmones è mari fugitiuos, lampetras, alauſas, lucios, barbatulos, carpiones, tacones, lauaretoſque. Hic verò piſcis ob aquæ perſpicuitatem & arenæ nitorem limo omnino carens cuiuſmodi eſt vt eo interdici ægrotis àmedicis propter ſalubritatem non ſoleat.

LIGER.

Les leuees de Loyre.

LIGER. Fortunatus lib. 4. in vita Martini.

Proijcit in fluuium cassem de pupe magister
Molliter ac vitreo Ligeri trahit humida lina,
Mox ingentem esocem modico sub rete coërcet,
Et trahitur cognatus aquis ad littora piscis.

Et lib. 5. ad Felicem Nanneticum

Tua rura lauat vitrea Liger algidus vnda.

Et lib. sexto:

Excipit inde repens vitrea Liger algidus vnda.

Sanazarius Elegiarum libro tertio.

Tristis erit Liger Aruernis qui fusus ab Antris
Libera deuexum per loca fundit iter.

Hoc quidem si rem propiùs inspicias non omninò verum erit, quia hic amnis à Vellaunis & Forensium populis funditur. Est autem præcipuus Franciæ fluuius nauigationem habens leucarum centum sexaginta, cum cæteri fluuij vix dimidium habeant: addo quod medium quasi regnum fluat, separetque in duas portiones ferè æquales, sicut nuper à

Guidone Coquillo auctore Iuris Municipalis Niuernensium doctissimo & prudenti viro annotatum est. Et quia Ligeri Meduana & Vigenna vt Britanniam introeant iunguntur, subijciemus Armorici versus ex Philippide decima, qui sic habent: LIGER.

Protinus Andegauim nullo munimine cinctam
Ingressus lapide incepit murare quadrato.
Qua vix diuitior vrbs aut ornatior vsquam
Esse potest clari vel clarior vbere Bacchi,
Circumquaque nihil vbi vites impedit agros
Quæ pariunt potum Normannis Britigenisque,
Nec Dominos vnquam permittunt æris egere:
Quam Liger argento prælucens ambit ab Austro
A Borea rubeus, mediam Meduana pererrat
Qui suus inde fluens quasi per duo millia lapsus,
In Ligerim nomen perdit, mutatque colorem,

LIGER. *Et sic tres vnus, Ligeris, Meduana, Vigenna*
Efficitur fluuius, qui rura Britannica multa
Fertilitate iuuans naualibus oppida ditat,
Delitiis villas variis & rebus adornat,
Piscosoque sinu gremium Nannetis inundans
Millia salmonum murenarumque ministrat
Britiginis, quos inde procul commercia mittunt,
Clara diu dum seruat eis Galatina vigorem
Cum variis redolens gariophila, ginziber herbis
Tum facit innumeris pinguescere mercibus vrbem,
Vt toto in regno nihil vlli debeat vrbi.
Nec procul hinc vastum mare dum petit impete vasto
De dulci subito fieri miratur amarus.

Loyre. Nec plura de Ligeri necesse est dicere, nisi quod sereno cœlo aquæ eius perspicuæ, vitreæ, & perlucidæ sunt, arenisque mouentibus abundant, vt modò in hanc, modò in contrariam ripam cumulus earum ingens

ingens ferri videatur. Tibullus Poëta aquas Ligeris cæruleas esse, ait illo versu. LIGER.

Carnoti & flaui cærula lympha Liger.

Cæsar autem in Commentariis de bello Gallico lib. 7. *Liger*, inquit, *flumen influit in Oceanum* Strabo lib. quarto, *Liger è Ceuennis montibus in Oceanum influit.* At Vibius Sequester aliquanto apertiùs & faciliùs. *Liger Galliæ*, inquit, *diuidens Aquitanos & Celtas in Oceanum Britannicum euoluitur.* Quæ vox (*Britannicum*) designat Prouinciam & partem Oceani in quam se se exonerat. Rursus Cæsar eodem lib. 7. *Liger*, ait, *Bituriges ab Heduis diuidit.* Strabo lib. 4. *Liger*, inquit, *inter Pictones & Nannetes excurrit.* Denique eodem libro Commentariorum Cæsar se vado Ligerim transisse scribit. Idem quoque Strabo de Ligeri & Garumna sic ait: *Duobus stadiorum millibus vtriusque fluminis est nauigatio.* Stadium verò continet centum viginti quinque passus. Itaque octo stadia faciunt milliare, vt Gellius lib. 1.

LIGER. c. 1. diſertè ſcribit. Auſonius Vaſatenſis, qui Gratiani Cæſaris temporibus vixit, edilio nono de Ligeri etiam loquitur Moſellam deſcribens.

Non tibi ſe Liger anteferet, non Axona præceps,

inquit.

Poſtremò vt id quoque ſciatur, nam ad Galliæ gloriam pertinet: in Comedia quæ Plauti ſuppoſito nomine *Querulus* ſeu *Aulularia* inſcribitur, & in Præfatione mentio fit Rutilij venerandi ſemper magni laudibus, LAR familiaris Queroli, loquitur in hunc modum: *Habes quid exoptas, vade ad Ligerim, vivito,* QVERVL. *Quid tum?* LAR. *Illic iure gentium viuunt homines: ibi nullum eſt præſtigium: ibi ſententiæ capitales de robore proferuntur, & ſcribuntur in oſſibus; illic etiam ruſtici perorant, & priuati iudicant: ibi totum licet. Si dives fueris patus appellaberis: ſic noſtra loquitur Græcia: ô ſylvæ, ô ſolitudines, quis vos dixit liberos? multo majora ſunt quæ tacemus, tamen interea hoc ſufficit.* QVER. *Neque dives ego ſum, neque robore vti*

cupio : nolo iura hæc silueſtria. Hæc à Querulo dicuntur. Scire verò neceſſe eſt planũ eſſe Ligeris alueum, atque ideo latiorem cæteris, vt multis locis æſtate atque autumno vado tranſiri poſſit. Apud Crociciacum autem Liger ferè quatuor leucas latitudinis obtinet. Is locus infra eumdem Crociciacum poſitus eſt. Oceano propior eſt, nam à Nannetum vrbe decem leucis abeſt Nazarij parochia, Crociciacus ab ea diſtat quinque aut circiter XII. ſi aquę ſpacium, flexumque metiri placet. Bucananus Poëta egregius quanti Ligerim fecerit hi verſus oſtendunt: LIGER.

Quam ſuperat Durium Rhodanus, quam Sequana Mundam,
Lenis Arar Sycorim, Ligeris formoſus Iberum.
Francigenas inter Ligeris pulcherrimus amnes,
Tantum omnes vincit Nymphas Amaryllis Iberas.

Tantum ei tribuens propter riparum amœnitatem quibus excellit, & aquæ fluentis perſpicuitatem, arenaſque nitidas. Non ſolùm idem

LIGER. poëta Ligerim, ſed Galliam totam celebrat verſibus triginta duobus qui ſequuntur.

Bucanani aduentus in Galliam.

Ieiuna miſeræ teſca Luſitaniæ,
Glebæque tantum fertiles penuriæ
Valete longùm. At tu beata Gallia,
Salue, bonarum blanda nutrix artium,
Cælo ſalubri, fertili frugum ſolo,
Vmbroſa colles pampini molli coma,
Pecoroſa ſaltus, rigua valles fontibus,
Prati virentis picta campos floribus
Velifera longis amnium decurſibus,
Piſcoſa ſtagnis, riuulis, lacubus, mari:
Et hinc & illinc portuoſo littore
Orbem receptans hoſpitem; atqui orbi tuas
Opes viciſſim non auara impertiens:
Amœna villis, tuta muris, turribus
Superba, tectis lauta, cultu ſplendida,
Victu modeſta, moribus non aſpera,
Sermone comis, patria gentium omnium
Communis, animi fida, pace florida,
Iucunda, facilis, Marte terrifico minax,
Inuicta, rebus non ſecundis inſolens;

Nec ſorte dubia fracta, cultrix numinis LIGER.
Sincera, rium in exterum non degener.
Neſcit calores lenis æſtas, torridos
Frangit rigores bruma flammis aſperos:
Non peſtilentis pallet Auſtri ſpiritu
Autumnus æquis temperatus flatibus:
Non ver ſolutis amnium repagulis
Inundat agros, & labores eluit.
Ni patrio te amore diligam, & colam
Dum viuo, rurſus non recuſo viſere
Ieiuna miſeræ teſqua Luſitaniæ,
Glebaſque tantùm fertiles penuriæ.

Et Saluſtius Bartaſius qui Piſidam imitatus poëma ſacrum edidit de ſeptem diebus, quibus omnia à Deo condita perfectaque ſunt.

Du deuxiéme iour de la ſeconde ſemaine.

O mille & mille fois terre heureuſe & feconde,
O perle de l'Europe, ô Paradis du monde!
France ie te ſaluë, ô mere des Guerriers,
Qui iadis ont planté leurs triomphans lauriers
Sur les riues d'Euphrate, & ſanglanté leur glaiue

LIGER

Où la torche du iour & se couche & se leue :
Mere de tant d'ouuriers, qui d'vn hardy bon-heur
Taschent comme obscurcir de nature l'honneur :
Mere de tant d'esprits qui de sçauoir épuisent
Egypte, Grece, Rome, & sur les doctes luisent
Comme vn iaune éclatant sur les pastes couleurs,
Sur les Astres Phœbus, & sa fleur sur les fleurs.
Tes fleuues sont des mers, des prouinces tes villes,
Orgueilleuses en murs, non moins qu'en mœurs ciuiles ;
Ton terroir est fertil, & temperez en aires ;
Tu as pour bastions & deux monts, & deux mers :
Tes toilles, ton pastel, tes laines, tes salines,
Ton froment, & ton vin sont d'assez riches mines
Pour te faire nõmer Reine de l'Vniuers
La seule paix te manque : ô Dieu qui tiens ouuers

Toûjours les yeux sur nous, de l'eau de ta clemence LIGER.
Amorty le brasier qui consomme la France,
Balye nostre Ciel: remets, ô Pere doux,
Remets dans ton carquois les traits de ton couroux.

Guillielmus Salustius Bartasij Dominus in Ausciis prope Lactoratum honesto genere natus, Musis Gallicis Ligeris & Sequanæ accolas in intimam Aquitaniam exciuit, vt Lurbeus refert in Commentario rerum Burdigalensium. Quod autem fecimus in hoc opere vbi opus fuit vt nostratia poëmata in Latinam linguam conuerterimus, ita Bartasij Gallica nunc interpretabimur in gratiam gentium externarum breuiter.

Galliam salutat, eamque matrem bellatorum olim fuisse dicit, & trophea super Euphratem constituisse refert, pluresque doctos viros educasse, flumina sua vocans maria, ciuitates suas esse munitissimas asserens, terramque maximè fœcundam, præsidij loco montes duos totidemque maria habere: telas, gla-

LIGER. stum, lanas, salinaria, ac frumentum, generosumque vinum producere.

Galliam quidem Buccananus eximiè depinxit, sed auctor vitæ beatissimi Genulphi eam scienter & apte diuidit cap. 1. lib. 2. *Galliæ situs*, inquit, *ad Orientalem plagam, confinia sui & Italiæ iuga montium habet: ad meridiem verò fretum Mediterraneum prouinciam præterluens Narbonensem. Porro ad Occiduum, Hispanias, & Oceanum, quod Gallicum, siue Britannicum dicitur. Inde verò Septentrionem versus, protenditur vsque ad Rheni fluenta. Qui ex supradictis Iouinis defluens Alpibus Galliam diuidit à Germania, hisque Gallia limitibus sic circumcincta refertur. Cuius apud Iulium Cæsarem, quondam quidem tripertita, sed nunc apud modernos, ob varios posteà rerum euentus, exploratius considerata diuisio, constat. A Rheno siquidem, vsque Sequanam, Belgica Gallia, quæ nunc à gente Francia dicitur. Inde verò vsque Ligerim, Gallia Lugdunensis, quæ nunc superiùs ob aduentum gentis, Burgundia: inferiùs Neustria dicitur. A Li-*

geri verò vsque Garomnam, Aquitanica Gallia; quæ à sibi Oriente Rhodano, vsque ad sibi Occidentalem porrigitur Oceanum, cuius etiam pars superior, à celsitudine montium quæ præeminet, congruè Celtica nuncupata videtur. A Garomna quoque vsque fretum Mediterraneum vel Pyreneos montes, Gallia Narbonensis, quæ nunc partim Gothia, partim Vasconia dicitur. In omni prorsus Gallia sedecim numero prouinciæ habentur, quarum omnium felicior atque fœcundior Aquitania. LIGER.

In hac autem diuisione nihil improperandum videri potest, nisi quod Celticam à celsitudine montium dictam putant. Nam etsi in Gallia celsi sunt montes, non tamen inde sequitur Celticam inde esse appellatam. Et quoniam de Aquitania vltimis verbis auctor ille meminit, in vita Sancti Remacli Episcopi Traiectensis eleganter vereque descripta est.

Aquitaniam quidem volunt ferè tertiam esse Galliarum partem, & ab obliquis Ligeris aquis, qui maxima ex parte eam alluit, ac pene in or-

LIGER. *bem circundat, ita nuncupatam. A Circio habet Oceanum qui Aquitanicus sinus dicitur, ab occasu Hispanias, à Septentrione & Oriente Lugdunum Prouinciam, ab Euro & Meridie Narbonensem Riuulis & fluminibus piscosis, solo fœcundissimo, pascuis pecorum vberrimis, vineis nectareis, nemoribus copiosis, magna fructuum abundantia celebris, auri, argenti, aliorumque metallorum ferax, vectigalium proventu opulenta, sed præ aliis prouinciis voluptatum omnium luxuriæ dedita. Denique viris fortibus, bellicosis, & ferocibus instructa habet ea, præter castra & loca munita* Et quia Pictauiensis ciuitas, id est, tota Pictonum Regio in vita Sancti Aichardi Abbatis Gemeticensis, in provincia Lugdunensi secunda pulchrè describitur, eam hîc quoque subjiciam. *Inter nobilissimas Aquitaniæ vrbes, Pictauis civitas caput attollit, quæ hinc murali ambitu circumsepta, hinc copiis militaribus suffulta, & suos fouet ciues interiùs, & hostiles procul pellit incursus. Nam præter cæterorum gratiam elementorum, etiam soli*

vbertas & publicam famem repellit, & annuis successibus affluentis vindemiæ germina grata refundit. Felix hac rerum opulentia freta ciuitas, sed longè felicior patrociniis sanctorum præmunita. Vrbes quatuordecim prægrandes atque populosas & celeberrimas, è quibus duæ sunt Metropoles, vna Burdegalensis magnis semper viris conspicua: altera Bituricensis, cujus tum Archiepiscopus fuit sanctus Austregisilus, & beatus Sulpitius Archidiaconus Austregisili in Episcopatu successor, in quorum parœcia per id tempus Remaclus in lucem editus est. LIGER.

Fortunatus in vita beati Hilarii.

Beatus Hilarius Pictavorum urbis Episcopus, regionis Aquitaniæ partibus oriundus fuit: quæ ab Oceano Britannico fere millibus nonaginta sejungitur.

Et idem Fortunatus libro octavo de se ait:

Pictavis residens qua Sanctus Hilarius olim
Natus in vrbe fuit, notus in vrbe pater.

LIGER. *Gens inter geminos notissima clauditur amnes,*
Armoricana prius veteri cognomine dicta,
Torua, ferox, ventosa, procax, incauta, rebellis,
Inconstans; disparque sibi nouitatis amore.
Prodiga verborum, sed non & prodiga facti.
Dicere plus, fecisse minus, taxatur honestum
Regibus hunc fidei numquam seruasse tenorem
Sæpius expectans: quare quo principe fœlix
Tunc quoque florebat titulis respublica priscis
Magna salus patriæ (nomen, fuit Ætius illi)
Pertæsus tumidæ mores & crimina gentis,
Vastandam rigidis tandem permisit Alanis.
Rex erat his Eochard quouis crudelior urso.

Denique addidit D. Germanum Altissiodorensem dicendo avocasse Eocharem ab incœpto.

Eandem regionem Britannicam tractum Armoricum multo ante Sidonius carmine septimo appellavit his versibus: LIGER.

Quin & Armoricus Pyratam Saxona tractus
Sperabat, cui pelle solum sulcare Britannum
Ludus.

Quo genere armorum Armorici vterentur, sciemus testimonio Eucherii Lugdunensis Episcopi in libello de variis vocabulis. *Frameæ*, inquit, *hastæ longissimæ sunt, quæ iis, quibus etiam nunc Armorici utuntur, hoc nomen tribuunt.*

Ausonius poëta Consul à Gratiano dictus, in Leontio Grammatico gentem Armoricam celebrat his verbis:

Nil opus inde tulit,
Sed tamen ut placitum
Stirpe satus Druidum,
Burdigalæ cathedram
Nati opera obtinuit.

Britannia igitur nobilis provincia est, nouem Episcopatus habens, quorum sedes in totidem primariis vrbibus constitutæ sunt. Primus ad

LIGER. Ligerim in vrbe Nannetum, 2. Venetum, 3. Rhedonum, 4. Dolensis, 5. Maclouiensis, 6. S. Brioci, 7. S. Pauli Leonensis, 8. Corisopitensis, 9. & apud Trecorenses, quorum alii ad inferiorem Britanniam pertinent, alii ad superiorem. Notandumque est in eadem prouincia homines vtriusque sexus, cętera animantia necnon arbores minoris staturæ vt plurimum esse quàm in aliis Galliæ prouinciis, seu vicinis, seu procul ab ea disiunctis, cultioremque secundùm Oceanum esse quàm alibi, quòd in iis locis frequentior habitatio sit propter commoda quæ maris vicinia aduehit, sed in media *Landæ*, quæ appellatur, cætera infertilia, vtilia tamen pascuis animalium in eadem prouincia, & in aliis vicinis non admodum remotis à mari leprosorum copia videtur. Sed Caputii dicuntur qui in agro Burdegalensi in humilibus casis habitant.

La Villaine, r. Fluuiorum autem totius Britanniæ celeberrimus est *Vicenonia*, sic dictus à Gregorio capit. 26. libr.

5. & capit. 9. libr. 10. *Interea*, inquit, *Britanni venerunt ad Vicenoniam amnem, quem transeuntes ad Vldam fluuium peruenerunt.* & lib. 5. capit. 26. *Deinde Bajocassini, Turonici, Pictani, Cenomanici, Andegani, cum multis aliis in Britaniam ex jussu Chilperici Regis abierunt, & contra Barochum filium quondam Macliani ad Vicenoniam flumen resident. Sed ille dolose per noctem super Saxones Bajocasinos ruens, maximam exinde partem interfecit.* Ptolomeus eum fluvium *Vidianam* vocat, & nunc usus obtinuit ut *Vigelania* appelletur. Oritur prope Cenomanorum provinciam, vnde *Vitriacum* fluit, progrediensque præclaram Rhedonum vrbem Senatuque in ea constituto cæteris illustriorem, interluit, posteaque impleto cursu suo in Oceanum labitur. De quo Gobelinus in Commentariis Pii 2. capit. 22. libr. 3. *Britanni eo tempore grauata regione vastanda Redonicum ad vicum qui dicitur Cornutus aduenerunt.* *Vlda* alius amnis à Gregorio memoratus fluit prope domum *Rohaniæ*,

LIGER.

Aoust, r.

ROHAN

LIGER. nobilissimæ gentis, Venetensis diocœsis, inde *Iosselinum*, postea *pontem Corbinum*, ibique acceptis aliquot riuulis in Vigelaniam decurrit. Idem Gregorius Turonensis: *In eadem*, ait, *ora maritima insulæ complures sunt Venetorum, & quæ Venetinæ appellantur, & in Aquitaniæ sinu Vyliarius.* Hæc enim verba sunt Plinii libr. 4. capit. 19. hæ dicuntur ferme ducentæ inhabitatæ & incultæ. Idem Gregorius capit. 5. libr. 8. *In insula*, inquit, *quæ est proxima civitatis Veneticæ, erat stagnum validum piscibusque refertum quod vnius vlnæ altitudinis conversus est in cruorem.* *Blauitam* autem fluuium Britonum esse Rhegino historicus testis est, ad eumque pugnatum memorat. Et in vita sanctæ Gildæ capit. 13. hæc de eodem flumine reperio. *Super ripam fluminis Blaueti, Pontivium Hambantumque oppida intersecans, nec vsquam vadosus amnis in ipsa Venetia labitur in Oceanum.* Gobelinus libr. sexto: *Britanni sunt*, inquit, *Galliarum populi, qui ex insula Britannia olim vt antea relatum est, pulsi, eas in*

Iosselin.

Vannes Ruiff.

Blavet, r.

Pontiuy.

Hambout.

continenti terras occupavere quas Veneti priùs incoluerant, ex quibus dicta est civitas Venetensis. Erius *ἠεῖος* Græcè à Ptolomeo dictus, infra pontem *Scoræ* influit in mare. E regione apparet *Calonesus* insula à pulchritudine dicta. Calonesus Britanniæ minoris peninsula est remota à terra, seu continenti leucas fermè sex, & quatuor à porta cui nomen Tiberoni, septem in circuitu aut circiter, tres & mediam longitudinis, latitudinis autem duas. Propria est grano nutriendo, maximè frumento, & avenæ quæ sunt pecorum delitiæ: nullæ sunt in ea arbores proceræ, & ceduæ siluæ, & ratio est, quia superficiem habet terra opertam, sub qua rupes sola tegitur. Magnæ naves ingredi peninsulam nequeunt: ita enim nunc appellamus, etsi initio peninsulam diximus: sed apud radam, ut nautæ vocant, consistunt, vtque ab injuria ventorum se tueantur necesse est vt peninsulam ferè totam circumeant pro modo ventorum. In ea sunt parrochiæ quatuor compositæ ex viculis centum qua-

LIGER.

Elle.

Belle-

Iste.

LIGER. draginta, quorum quilibet ædificia habet tria aut quatuor. Templa seu Ecclesiæ etiam quatuor, vna Petro & Paulo, secunda Direco, tertia eaque spatiosa Palladio est dicata: nomen vltimæ adhuc nos latet. In eadem nutriuntur lepusculi penè innumeri. Munitio in cauata ferro rupe est, vbi pręsidium quinquaginta peditum vigilias agit, nec Peninsula diœcesis alicujus est, sed à Romano Pontifice ei datur Officialis, à quo dimissoriæ literæ ad viciniores Episcopos obtinentur. Vrbes vicinæ sunt *Hannebontum* & *Kimperle*, abestque decem leucis. Propinquior autem vrbs & magni nominis est civitas Venetorum Cęsari cognita, ab eoque eleganter descripta libro tertio: *Terrasidius missus est in Vnellos, Marcus Trebius Gallus in Curiosolitas, Quintus Velanio cum Tito Silio in Venetos, cujus est longè amplissima autoritas omnis oræ maritimæ regionis earum, quòd naves habent Veneti plurimas quibus in Britanniam insulam* (majorem) *navigare consueuerunt.* & libr. secundo. *Eodem tempore à Publio*

Crasso, quem cum legione vna miserat ad Venetos, Vnellos, Oximios, Curiosolitas, Sesuuios, Aulercos, Rhedones quæ sunt maritimæ ciuitates, Oceanumque attingunt, certiorque factus est omnes has ciuitates in deditionem potestatemque populi Romani esse directas. Et libr. 3. *Publius Crassus adolescens cum legione septima proximus mari Oceano in Andibus hyemabat.* Et eodem libr. *Naues in Venetiam vbi Cæsarem primum bellum esse gessurum constabat, quamplurimos possunt cogunt socios sibi ab id bellum, Oximios, Lexouios, Ambiliates, Morinos, Diablintres ascisciunt.* Et paulo infra: *Atque his paucis diebus Aulerci, Eburonices, Lexouiique senatu suo interfecto quod autores belli esse nolebant, se cum Virodonice conjunxerunt.* Kimper Britannica lingua oppidum siue vrbem significat, qualis olim fuit, clausa antiquitus murisque cincta, populo tamen parum abundans, quam interluit amnis *Oderus* priusquam ad littus Oceani perueniat. *Aon* alius amnis per castrum *Lini* fluit sulmonibus abundans, atque in insulam no-

LIGER.

Kimperlay.

Oder, r.

Kimper coranum.

Aon.

LIGER mine *rotundam* excurrit, in quam vicinus *Elœnia* amnis quoque labitur. Sequitur insignis portus nomine *Brestius*, mox *Gabeum* promontorium, vulgo Sancti viri Matthæi Apostoli appellatum, quod appulsu difficillimum est. E regione eius *Oessanti* insula posita est, magnitudinis ac pulchritudinis ad habitandum propria, etsi paucos incolas habet, propter pyratas & prædones maritimos, qui periculum damnumque insulanis nimium afferre solent. Deinde *Conquestus*, plurimæque exiguæ insulæ sequuntur, antequam *Sancti Pauli* Leonensis oppidum Episcopali sede ornatum videas. Inter cæteras *Sena* insula Oscisinicis aduersa littoribus, Gallici numinis oraculo insignis est, vt ait Pomponius Mela libro tertio cap. 6. hodie *Sayn*, opposita capiti S. Matthæi, vbi sunt Oscisiuij populi; nam eos ita vocat Cæsar. Ex eodem littore *Trecorense* oppidum Episcopatu celebre cernitur. Postea Sanctorum *Brioci* & *Maclouij* oppida, in quibus duo Episcopatus collocati sunt. *Aleth*

Brest.
S. Mahé
Oëssant
Conquest.
Leon.
Triguet
S. Brieu
S. Malo
Aleth.

Cuc est oppidum Britanniæ maritimum, vnde sedes Episcopalis translata est *Maclouium* peninsulam, quam facit in Oceano in Monasterio Vincentij ordinis Canonicorum Sancti Augustini. Maclouium oppidum distat ab Aletha duobus tantùm millium passibus. In Notitia vtriusque Imperij hæc verba habentur, *Aletha ciuitas maritima Britanniæ Celticæ.* In Briocensi quidem sita est Abbatia nomine *Cormorna*, & iuxta eam satis prope sylua quæ in plures leucas extenditur. *Rinctius* ortum habet prope locum cui nomen *Landæ Menaiæ*, fluit iuxta *Dinanum* vrbem pulchram & spatiosam, indeque & mare influit propè Maclouium, vbi nomen amittit. Hic amnis abundat optimis piscibus, vt sunt carpiones, lucij, troctæ. Leucas quatuordecim decurrit, magna nauigia fert à Dinano vsque Maclouium, æstuque Oceani refluus leuca vna Dinanum aliquando præterit. *Mineta* est exiguus amnis propè *Fulgeriarum* vrbem fluens, cuius cursus vltra sex leucas protenditur. Aquam habet

LIGER.

Räce, r.

Dinam

Minette, r.

Fougeres.

LIGER propriam tincturæ, parumque piscium ferax est. Fluctus autem maris hunc ordinem seruat; veniens enim manè hora sexta redit vesperi hora sexta cum dimidia, recurrit sero hora octava, & sic deinceps.

Coësnon, r. Denique *Coësnus* amnis à Fulgeriarum munitione valida fluens Britanniam à Normania diuidit ad pontem Orson, indeque versus montem Sancti Michaëlis fluens in mare labitur, vnde prouerbium Britonum:

Coësnon fist vne grande folie,
Mettant le Mont en Normandie.

Sciendum est autem Normanniam esse quam Veteres Lugdunensem secundam appellabant. Britanniæ verò Episcopatus sub Turonensi Archiepiscopatu comprehenduntur.

SEQVANA.

CANCELLI oppidulum in via militari positum euntibus Lutetia Diuionem Burgundiæ vrbem, abest à fonte *Sequanæ* duobus passuum millibus, & patronus loci parrochięque Cancellorum in Diœcesi Heduensi positæ, est *Antimus* Bithiniæ Episcopus: Dominus verò Abbas Flauinii in edito colle constituti. Iter autem prosequentibus ab illo fonte occurrit proximum oppidum sancti *Sequani* in ima valle positum, Lingonensis Diœcesis, non Heduorum, syluaque colli imposita *Belfaya* dicitur, estque in territorio cœnobii. Itaque Sequanam flumen neque à Sequanis trans Ararim populis, neque à Sequano sanctissimo viro appellatum constat, etsi castellum in quo natus est vltra *Susionem* fluuium parum abest. Fons autem mediocris

SEQVANA.

Seyne, r. Chaneaux. Dijon.

Antesme. Flauigny.

S. Saine.

SEQVANA. nec depresso, nec alto situs loco, nihilque admirandi habet, præterquam quod tantæ rei initium est; magnum enim flumen parit, duabus leucis à sancto Sequano intra syluam Cancellorum pertinentem ad Abbatem ejusdem Monasterii S. Sequani, & infra templum fons oritur magna aquarum copia erumpens: ac primùm acceptis aliquot riuulis Sequana occulta alluuione accrescit. Cæsar ita appellat flumen quod nunc describimus. Hoc nullo pene nomine fluere videtur vsque *Aseyum Ducis & Castellionem*, ubi ligneo ponte transitur. Quo in oppido Monasterium est Ordinis Benedictini, de quo quidem Castellione Poëta Guillelmus Armoricus in Philippide:

Aysé le Duc.

Chastillon.

Et castrum Castellio nomine vicus
Nobilis,
Quem fluuium medium retinentis perluit vnda,
Sequana nobilium pater, instructorque virorum.

Ab eo loco *Barum* fluendo peruenit,

uenit, quod vulgo Sequanicum incolæ vocant, propter Barum ad Albam amnem situm, vt adjectione fluviorum distinguantur. Prope Tricassinorum vrbem Episcopatu inclytam, quam *Trecas Campaniæ vrbem*, Gregorius libro 8. capit. 13. vocat.

SEQVANA. *Bar sur-Seine.* *Bar sur-Aulbe.* TROYES.

Henricus libro tertio.

Lupus est ex nomine lectus
Nobilis Augustæ quondam qui forte Trecarum
Præsul erat.

Ammianus libr. 16. *Breui sicut solebat otio cum milite recreatus, ad Tricassinos tendebat.*

Et paulò post:

Proinde certiori jàm spe ad resistendum ingruentibus confirmatus per multa discrimina venerat Tricassas adeò insperatus, vt eo portas pone pulsante diffusæ multitudinis barbaræ metu aditus vrbis non sine anxia pandereturambage. A qua vrbe, *Catalanum ad Matronam* distat, vt hoc obiter dicam, leucis duabus & viginti. Et *Vannæ* quidem Tricassinæ supra eum sunt, à quibus per distinctum alueum tertia pars Sequanici flu-

Chaalons sur-Marne. *Les Vannes.*

SEQVANA. minis educitur, versusque portam vrbis nomine Crocelliam, aut Burgundicam, si mauis apertius loqui. Distant autem Vannæ illæ quarta parte leucæ à mœnibus, estque in vicinia illarum Vicus Iuliani, quem *Sanceium* incolæ vocant, & moletrinæ quædam. Ibi iterum per alium alueum portio fluminis in vrbem labitur. Est & riuulus è S. Martini fonte juxta *Cellas Monasterium* ortus, isque intus decurrens, tandem in fossas vrbis illabitur, eique vicinior est, ab ortu solis, quippe à *Foßiaco* Virginum templo sclopeti ictu tantùm distans. hoc artificio majorum introducti in vrbem duo distincti aluei, vbi exiere citò coeunt cum tertia parte fluminis, à qua disjuncti diuisique fuerant, ac jam pleno alueo Sequana fluit, *Nouigentum* petens. Ad *Albam* amnem jàm venio, qui & *Albula* in vetustis tabulis etiam dicitur. Huic vicinum oppidum Barium nuncupatur, & in vita Bernardi Clareuallensis hæc verba reperio. *Erat Clarauallis locus in territorio Lingonensi non longè*

SANCY.

Monstier la Celle.

Fossey.

Nogeãt sur Seine.

Aube, r.

Aubetier.

à fluvio Alba situs antiqua spelunca latronum. Pleno enim cursu Alba à Clarevallensium muris distat jactu balistæ vi impulsæ & erumpentis ex ea sagittæ, sed riuus ab Alba deductus per cœnobium Clarevallense fluit. Et Victorianus Annalis iisdem penè verbis vtitur. *Clarauallis non longè à fluvio Alba antiquitus fuit spelunca latronum quæ dicitur vallis absintialis, vel propter amaritudinem loci.* Id verò Monasterium in ripa Albæ situm est ordinis Cisterciensis, ad Lingonensem Diœcesim pertinens, distansque quinque tantùm leucis à prima & præcipua Lingonum vrbe quæ Episcopatus est. Supra id Monasterium stagnum ingens visitur, in quod fluit riuulus è fonte Albæ scaturiens mille quingentis passibus in via Diuionensi, & in parua valle sub procera quercu oritur, majorque est fonte Sequanæ in quem labitur, vt famæ majoris in amnem. De Alba Guillelmus Brito poëta ita cecinit Philippidos libr. nono:

SEQVANA.

Clairuaux.

Partibus armiferis quas irrigat Alba fluentis,

SEQVANA.

Et Materna vago tendens per plana recursu.

Chasteau-Villain.

Inde *Castrum Villanum* petens ac prope Barium decurrens, & juxta Belliloci cœnobium ordinis Præmonstratensis sub Diœcesi Tricassium, mox *Ramerudense* castrum, & *Arceiam* antiquam urbem, de qua in Itinerario Antonini fit mentio celebris. Nicolaus Camuzat flamen Ecclesiæ Tricassinorum vir eruditus, & amicus meus, qui fluvios penè omnes Campaniæ meo rogatu perquisivit, reperit etiam in agone Martyris Balsemii, tempore Vandalorum, in territorio Tricassino eum pro Christi nomine occisum esse, vitamque ejus in antiquissimo libro exscripsit, in qua hæc sunt verba: *Tandem verò attingens loca Campaniæ devenit ad quandam ciuitatem Arceias nomine, nam dicitur in illo tempore ciuitas fuisse, nunc autem villam omnes non ignoramus esse.* Cujus Martyris lipsana adhuc ser-

Rameru.

Arcies.

uantur in Templo prioratus Rame- SEQVA-
rudensis, vnde Arciacensis Campa- NA.
nia dicitur apud Aimoinum historicum libro quarto capite primo. Sanè Campaniæ nomen in genere sumptum vno tantum loco reperio, cùm Aimoinus capit. 39. Lupum Ducem Campaniensem vocat nulla adjecta distinctione, cùm aliquot locis Campaniam Remensem attingat, vt capit. 12. 15. 23. libri tertii. Initio verò quarti Catalaunensem Campaniam disertè proferens. *Sigiberto*, inquit, *cum Burgundionibus in Campania Catalaunensi occurrit Clotarius*. At Paulus Diaconus libro quinto de eadem Campania Catalaunensi sic ait: cùm de pugna Theodorici Gothorum Regis atque Aëtii aduersus Attilam loquitur in hunc modum. *Conuenitur ex vtraque parte in campis Catalaunicis, qui centum in longitudine leucis, & in latitudine septuaginta duabus (vt Gallis mos est metiri) feruntur.* Idem scriptor postea addit, *Eo siquidem prælio in campis Catalaunicis centum octoginta millia hominum cæsa referuntur, tantumque est sanguinis ef-*

fusum, vt paruulus qui ibidem la-
SEQVA- *bebatur riuulus, immodicus subito tor-*
NA. *rens effectus cadauera secum traheret peremptorum.* Cujus fluuii nomen postea dicemus cùm ad Vidulæ & Axonæ descriptionem venerimus. Illa autem clausula, *vt Gallis leucas mos est metiri*, quomodo intelligenda sit est facile interpretari, si vtamur Hieronymi testimonio in Ioelem. *Vnaquæque*, inquit *gens certa viarum spatia suis appellat nominibus; nam & Latini mille passus vocant, & Galli leucas, Persæ parasangas, & rastas vniuersa Germania.* De quarum veteri interuallo si quis adhuc laborat, succurret illi Marcellinus, cujus hæc sunt verba: *Et quoniam*, inquit, *à loco vnde Romana promota sunt signa adusque vallum Barbaricum quarta leuca signabatur & decima, id est, vnum & viginti millia passuum.* Postmodum *Planceium*, anti-
Plancy. qui nominis castellum, cujus dominum Nicetas in expugnatione Constantinopolis vt bellica laude formidabilem, ac giganti persimilem statura admiratur. Et *Angula-*
Anglure.

riam Baroniam, vt ita loquar, ab Episcopatu Tricassium dependentem, cujus proprietarius vnus est è quatuor Paribus Episcopatus. Addimus Angulariam villam & insulam quæ juxta eam sita est, in flumine Alba positam esse. *Vrsa* quoque sive Vssa oritur in paruo admodum loco Diœcesis Lingonensis nomine *Beneurio* in parte ejusdem vici, quæ *Vrsa* ab incolis dicitur, qui distat duabus leucis à Carthusia Lugniensi. Buras inde per *Rixeum* vicum fluit, vbi alium fluuiolum subit nomine *Creusam*, postea eamdem Carthusiam præterfluit, & quinta aut sexta leuca prope *Miras*, Cistercienſe cœnobium, atque à Sequana excipitur leuca vna ab eodem Monasterio in vico *Villanouana*, qui non longè abest à Bario super Sequanam. *Lagnia* verò in vico ejusdem nominis scaturit milliari etiam vno supra *Molismam* sub eadem Diœcesi Lingonum, quod cœnobium est Cistercienſe: denique per *Riceium* parrochiam ex tribus vicis compositam fluens, in Sequanam labitur prope

SEQVANA.

Orse, r.

Creuse, r.

Legnes, r.

Molesme.

SEQVANA. castrum *Poliſam*, ſalareſque in eo capiuntur quos tructas vulgò appellant, delicatiſſimi ſaporis, deliciique menſarum. In eum quoque influit Arſia amnis, quæ cauſa eſt, ut ob concurſum horum trium riuorum ad pontem illius oppidi influentium Galliæ rithmo dici ſoleat.

Arſe, r.

Orſe, Arſe, Leigne & Seyne
Abordent au pont de Bar ſur Seyne.

Id eſt, Vrſa, Arſia, Lagnia in Sequanam influunt ad pontem Barenſem.

In vita Sancti Aventini reperio hæc verba: *Exinde remouit ſe ſponte ſua, & petiit inſulam ſeptem millibus feré ab vrbe Tricaßium diſtantem, quam alueus Sequanæ vel Oſæ fluminis in modum coronæ circundant.* (Ea Marchionatus titulo hodie exornatur) quem alii codices ſimpliciter *Loſam* appellant. Oritur verò apud Capellam Moliſmæ cœnobio tributam, ſex aut ſeptem milliaribus ab urbe Tricaſſinorum diſtantem, apud Oſam, ac tandem prope Sanceium vicum quarta parte milliaris ab eadem diſparatam, vbi Vannas Tricaſſinas eſſe demonſtrauimus,

Lozain, r.

in Sequanam funditur. Est *Monasterium Deruense* in Diœcesi Catalaunensi prope amnem Vigeram, de quo Vsuardus in Martyrologio ad 17. Cal. Nouembres ipso die, *in Deruo Monasterio translatio Sancti Bercharij Abbatis & Martyris.* Is oritur apud *Summam Veram* Tricassinæ Diœceseos, nam ita nunc dicitur, vicum à Deruo sylva distantem vno tantùm milliari: acceptisque aliquot fluuiolis in Albam influit. In eandem etiam labitur *Almantia* ortus è Sira fonte supra vicum Amanciam, in quem fluit, tum Radonis villam ac prope Monasterium *Iunifontis*, quod est Ordinis Præmonstratensium in Diœcesi Tricassinorum: denique *Matholium*, apud quem vicum in Albam funditur, nec cursum longiorem duobus milliaribus habere dicitur. A qua vrbe quinto aut sexto milliari est exiguus amnis *Ausona*, in comitatu Briennensi qui oritur è stagno *Brantignino*, prope Pisneium vicum, nobilissimæ Lucemburgensis familiæ, infraque Albam influit apud *Cocloyan* igno-

SEQVANA. *Monstier en Der. Voire*, r.

Amance, r.

Auson, r.

SEQVANA. bilem vicum. *Lustria* quoque amnis è fontibus *Malliaci*, id vici nomen est, qui distat à Catalauno decem milliaribus, totidem ab vrbe Tricassina, deinde *Lustriam* vicum addit, à quo nomen videtur accepisse, in cujus templo Lipsana Tanchæ virginis & Martyris à circumuicinis populis maxima frequentia coluntur, quia ibidem pro Christi nomine tempore Vandalico, vt acta referunt, decollata est. Inde *Vinellam* vicum fluit parum distantem ab Alba in quam mergitur. Hic amnis vltra tria milliaria non progressus abundat troctis. Ad *Barsam* amnem nunc venio, de quo in veteri instrumento & Carthulario hæc verba reperiuntur. *Sub monastico ordine in cellula quæ Deruus vocatur super fluuium Barsam.* Et paulo post. *Ex vno latere fluvio Barsæ.* Deruus autem sylua ingens olim fuit, prope quam Monasterium Ordinis Sancti Benedicti exædificatum est, postea excisis & euulsis è terra arborum radicibus in culturam redacta. Ad monachos verò Deruenses scio epistolam esse apud Gerbertum ex Re-

Luistre, r.

Barsan, r.

mensi, Ravennæque Archiepiscopo Romanum Pontificem, cujus codicem epistolarum aliquando editurí in lucem sumus, magno Galliæ & finitimæ Germaniæ cis Rhenum sitæ commodo. Oritur autem Barsa apud *Vandoperam*, Diœcesis Lingonensis castrum, quod Vandourense & Vandoperosum etiam dicitur, isque fluuius prope Tricassinorum vrbem à qua vix distat quarta parte milliaris, in Sequanam labitur. Hoc verò flumen Arduconem amnem accipit. Is fluit apud Paraclitum Virginum Monasterium Heloisæ doctissimæ feminæ, cui notus erat Abailardus Philosophus atque Theologus suorum temporum excellentis ingenii, ac dicere solitus illud Tullianum, *Mihi solitudo & recessus prouincia est*, à quo Nouigentum vsque duo millia passuum numerari scio. Sunt qui id flumen Arduceum vocent, & antiquiores sic appellabant inspectis veteribus tabulis quæ sic habent. Denique Alba nauicularum patiens, & piscosus admodum, inter Saronem & Marciliacum vi-

SEQVANA.

Vandeuure.

Arduſſon, r.

cos super Sequanam in ipsum euoluitur, vnde popularis versus circunfertur.

SEQVANA.

Entre Marcilly & Saron
Le fleuue d' Aube perd son nom.

Id est, inter Marcilliacum & Saronem amisso nomine suo, Alba in Sequanam influit. *Tranquillus* vicus, qui vulgo Trancault appellatur, à Trecensi vrbe nouem leucis distat, diuiditurque in duas partes, quarum vna Parrochialem Ecclesiam prope est, altera castrum loci respicit. Hæ duæ mansiones diuiduntur & separantur concursu duorum riuulorum, quorum alteri nomen est *Sorme*, qui oritur è vico S. Lupiani loci religione celebris, qui distat à Tranquillo duabus leucis, & septem ab vrbe Trecensi. Alter riuus nomine *Loruinus*, qui oritur è collibus *Villæ nouæ ad diuites homines*, sic enim vulgus vocat, castellum olim munitum cura procerum Æsternensium, vbi pendentibus propter religionis causam discordiis acre bellum gerebatur, à Fossiano militari viro combustum est 1577. Hi duo amnes permixti

Trancault.

Sorme, r.

Loruin, r.

propè castrum vetus Tranquilli fa- SEQVA-
cientes magnam & largam plani- NA.
ciem pratorum in Sequanam excur-
runt vico nomine *Atisio* in Seno-
nensi diœcesi, sub *Nogenio* sive *No-*
gento in diœcesi Trecensi duabus
leucis aut circiter à Nogento, &
quinque paruulis à Tranquillo. Et
Sorma quidem, quæ apud Sanctum
Lupianum oritur, irrigat vicos *Bar-*
sonum, *Marcilium*, *Bercenaium*, &
aliquot insuper, *Tranquillum* vbi
Loruinus Sormæ permiscetur, ab
eoque loco permixti irrigant *Soli-*
gninum, *Bonium*, *Trignellium* Vrsi-
norum procerum, qui sunt marchio-
nes eiusdem, & aliquot præterea
locis excurrunt in Sequanam flu-
men. Beatus *Aper* in suburbio Au- S.Eu-
gustæ Trecorum vico, qui Tran- *pre.*
quillus dicitur, præsentis vitæ sum-
sit exordium. Discessit autem è cor-
pore septimo decimo Kal. Octob. ac
fuisse narratur Episcopus Tullen-
sis, nec aliud memoria dignum ea vi-
ta continet, ad eumdem diem Epis-
copus fuisse Tulli ab Vsuardo refer-
tur. In suburbiis Tulli Leucorum
Abbatia S. Apri in eo sita, hoc no-

SEQVANA. mine censetur. Sed & alibi in Apri vita leguntur hęc verba: *Diuus Aper è Tranquillo suburbio à trecis septem millibus distante oriundus fuit.* Glaber vero cap. 5. lib. 1. *Ortus est*, ait, *vir quidam in pago Tricaßino ex infimo rusticorum genere Astingus nomine, in vico qui Tranquillus dicitur tribus à civitate milliaribus.* Quo in spatio Glaber & se & nos decepit, abest enim Tranquillus à Trecensi vrbe nouem grandioribus leucis, in eadem diœcesi situs, idque constat testimonio viatorum, qui centies ab vrbe Tranquillum vicum adierunt.

Nogeãt sur Seine. *Nouigentum ad Sequanam*, sic dictum ab eo fluuio & ponte in eo à maioribus constructo. Nec verò prætereundum est nauigia onusta sale aduerso Sequana ex Oceano venientia longiùs illo oppido non progredi, sed salem ad Tricassinos & alias vrbes terra vehi. Ab illo oppido progreditur Sequana ad Mo-

Monstereau faut-Yone. *nasteriolum* Diui Martini, vbi *Icauna* amnis in illum influens, quem veteres sic appellabant, deficere ibi, id est, nomen amittere vulgò dicitur. Inter cæteros enim Herricus

qui Carolo Caluo floruit, & vitam Germani Autissiodorensis Episcopi scitè perscripsit, ita de illo loquitur. SEQVANA.

Fluuio tamen interiecto
Cui prius Icaunæ nomen largita vetustas.

Et consequutis seculis in vita & miraculis Sancti Romani patria Itali à Gisleberto Monacho Senonensi ita scriptum est. *In villam Senonum super Icaunam flumen,* ubi villam pro vrbe dicit, Gallicum morem sequutus. Solemus enim vrbes vel maximas villarum nomine appellare, vt Lugdunum, Tholosam, Lutetiam. Cæterum hodie non Icaunam, sed *Yonam* id flumen vocamus. *Sania* amnis non exiguus fluit propè muros cœnobij Virginis Mariæ apud *Pontiniacum* ordinis Cistercienſis in diœcesi Altissiodorensi, quem publica instrumenta *Sanaem* vocant. Hic amnis in Yonam influit infra *Bassonem* exiguum oppidum positum ab Altissidoro tribus miliaribus. De Pontiniaco autem scribitur hic versus de beato Edmundo genere Anglo: *Senin,* r

SEQVANA. *Et Pontiniacum pons exulis, hortus a-*
sylum.

Pontigny. De *Armentione*, Floriacensis scriptor anonymus libro quarto cap. 12.

Armãson, r. sic ait: *Castrum quoddam in Burgundiæ partibus in latere montis supra fluuium Armantionem vocabulo situm, adiacenti regioni nomen dedit. Namque à Tornodoro vicina regio*

Tõnerre. *Tornodorensis dicitur.* Hic autem fluuius Senimurum alluit, posteà Rauerias atque Taulacum oppidula fluit: deinde à Flauiaco progressus montem Barri præterfluit. de quo castro sic in vita Bernardi Clarevallensis vocati, capite primo: *Mater eius Aleth erat, ex castro cui nomen*

Mont-Bar. *Montis-Barri*: demum propè S. Florentij modicum opimumque oppidum, labitur in Ionam, in portu Chernij vici admodum ampli quarto milliari ab Autissiodoro. Vnde Glaber historicus cap. 1. lib. 2. *Castrum*, ait, *Sancti Florentini est super Armantionem fluuium.* Et de hoc quidem Armantione accolæ dicunt.

Armanson
Mauuaise riuiere, & bon poisson.

Id est, bonum esse piscem illius

amnis, etsi nox j; plures enim gurgites habet, periculosusque est. *Sera* riuus per *Nucetum* Burgundiæ oppidulum similiter in Icaunam decurrit. Hæc exigua flumina vna cum *Cura* amne, qui propè *Clametiacum* fontem habet, acceptoque *Aualone* fluuiolo, & cæteris aliquot riuulis amnibusque, fecere vt crates lignorum valdè necessariæ vrbi Lutetiæ aqua perfusæ fluant, carboque & vinum nauiculis vehantur. Icauna itaque supra *Crepantium* nobile oppidum oritur, ipsumque interluit. Deinde *Autißiodorum* vrbem, quæ *Autricus* olim dicebatur, ut ex Henrico Sancti Germani monacho & poëta didicimus, simul ex Constantio ciue Lugdunensi, qui eiusdem Germani vitam scripsit Valentiniani tertij temporibus, multoque antiquior est. Sic enim in vita S. Peregrini, *Peregrinus & socij Autricum, quod nunc Autißiodorum dicitur, intrepidè perueniunt.* De Autissiodoro autē apud Ammianum hæc ipsa verba esse scio. *Julianus ab Augustoduno Autißiodorum peruenit, inde ad Tricaßinos.* Et quidem in conspectu

SEQVANA.

Le Serain, r.

La Cure, r.

Aualon, r.

Creuāt.

SIQVANA. Altissiodorensis oppidi interposito Icauna fluvio S. Germanus Monasterium collocauit, vt idem Constantius Lugdunensis in eius vita ait.

Alise. Armentio in regione Mandubiorum ortus, qui nunc ab *Alexia* gentis illius munito quondam oppido Alsenses appellantur, acceptis aliquot fluuiolis, quorum vnus *Sinemurum* oppidum alluit. De Sinemuro anonymus quidam vetus auctor eruditus, monachus Foriacensis ante sexcentos annos loquitur cap. 43. lib. 4. de miraculis sancti Benedicti his verbis: *Quidam nobilium Gaufridus nomine, prepotens vir dominus castri quod Sinemurus vocatur, &c.* Quod idcirco dictum est, ne quis id oppidum post id tempus sexcentorum annorum conditum putet, & recèns constructum existimet. De Alexia verò Mandubiorum oppido Cæsar libro septimo de bello Gallico. *Ipsum erat oppidum*, inquit, *in colle summo admodum editum loco, vt nisi obsidione oppugnari non posse videretur.* Eius collis radices, duo duabus ex partibus flumina subluebant. Herricus Altissiodorensis qui

Semur en l'Auxois.

sub Carolo Caluo floruit, id oppidum *Alesiam* vocat ab alendo, quod pingui pane alat colonos. Alesiensis enim regio frumentaria valde est, vt Santonum agri & Belsia Carnutum. Postremò idem Herricus: SEQVANA.

Nunc restant veteris tantum vestigia castri.

Templum *Beatæ Reginæ*, & fons salubris aquæ & concursus peregrinorum aquâ illius ad sanitatem recuperandam vtentium, locum hodie clarum faciunt. Vsuardus ad septimum Idus Septembris. *In territorio Augustodunensi*, inquit, *Sanctæ Reginæ Virginis, quæ sub Consule Olibrio eculei, carceris, ac lampadum perpessa supplicia, tandem capitali sententia finiri est iussa.* Alexiam igitur veterem in summo colle sitam fuisse apparet, aut vt Strabo loquitur, in sublimi locatam tumulo cingentibus montibus & fluuiis duobus, cuius collis radices, vt ait Cæsar, duabus ex partibus flumina subluebant. Locum vbi Alexia fuit, hodie Alexiæ montem vocamus, in cuius pendenti à Septentrionibus Occidentem spectando situs est vicus reti- *Sainte Regne,*

SEQVANI. nens veteris Alesiæ nomen. Duo flumina quorum Cæsar mentionem facit, siue duo riui qui radices eius montis subluunt, in quo oppidum situm erat, qui perpetuò fluunt, proptereaque flumina ab eo dicuntur, alioquin parum digni hoc nomine iudicarentur, cùm fluminis nomen non conueniat tenuibus riuis, neque attribui soleat aquarum copia carentibus. Hi enim duo riui non excedunt latitudine tres aut quatuor ad summum, vt vocamus, thesias, si habeatur ratio vt haberi solet lapsus eorum cursusve quotidiani. Ambo igitur defluunt aut descendunt ab ortu solis. Verùm is qui à Septentrionibus venit, & Gallica lingua

Oserain *Oserain* appellatur à nomine veteris templi paganorum quod aiunt Osiri dicatum fuisse, vbi situs est prioratus Sancti Maximi, aut vt vulgò dicimus *S. Mesmyn*, & vicus infra quem oritur distans quinque leucis aut circiter ab Alexia vnde Osiris defluit, decurritve plures vicos, nominatim eos quos subjicio, *Auosnam*, *Villam Berninum*, *Altam ripem*, & radices *vrbis Flauiniæ*, in

Villerni Flauigni.

qua est Benedictini ordinis cœno bium, videlicet Sancti Petri Apostolorum Principis, diœcesis Augustoduni Heduorum magnæ auctoritatis & nominis. Vrbs autem illa satis munita satisque valida est, aspiciens videnſque montem Alexiæ, qui vna tantùm leuca abest, id est duobus passuum millibus aut amplius, secundùm morem regionis. Alter riuus à meridie fluit, ac *Loza* nomen habet: sed cur ita appelletur nemo est in illa regione qui rationem reddiderit. Itaque primogenium nomen meritò censeri debet. Apud *Blaisium* oritur, quod Baroniæ nomen est; domusque eleganter exædificatæ ac sitæ quatuor leucis supra Alexiam, distansque à fonte Osiris siue Oserani, vt nunc vocant, quatuor transuersis leucis: à Blaisio decurrit per S. Heliæ prioratum, *Tenissam* Baroniæ dignitate insignem locum, & *Gresignynum* atque alios. Postmodum irrigat Alexiæ montem Mandubiorum à meridie.

SEQVANA.

Loze, r

Cùm autem hi duo riui decurrére planiciem circiter passuum sex mille, influunt in maiorem amnem, cui

SEQVANA. *Brenne, r.*

Brenæ nomen, idque apud inſulam Antoniam, vbi vnum corpus faciunt hi duo riui, Oſeranus & Loza, Brenaque eos excipiens: ſed duo priores nomen amittunt. Brena igitur oritur apud *Subrenonem* antiquam in Burgundia Baroniam, ac fluit per *Albigninum*, *Bucbam*, *Vitellium* Baroniæ titulo ornatum, *Paſaugias*, *Leuniacum* vini optimi feraciſſimum, *Polleniacum*, *Lalmau*. Qua in planicie referuntur Galli olim aduerſus Vercingentorigem fortiter dimicaſſe, occiſorumque eo prælio cadauera ibi ſepulta ruſtici aiunt. Ab ea planicie Brena fertur iuxta montem Bardorum, qui ſacerdotes dicuntur fuiſſe veterum Druidarum.

Mont-Bar.

Si fama non fallit fidem; vt Auſonij verſu vtamur. Ambari neceſſarij & conſanguinei Heduorum, vt Cæſar ait libro primo. Brena verò duas adhuc leucas fluens in Armentionem labitur ſupra Rogemontis Abbatiam Virginum ordinis ſancti Benedicti loco, quem accolæ Bergas vocant. At Armentio accepto Brena fluit *Anciumfrancum*,

Ancy le Franc.

id est liberum. Ancium sanè ad Comitem Tornodori pertinet, estque vnum ex pulcherrimis ædificiis vel structuris Regni. Inde Armentio idem propè *Tornodorum* accedit: centesimo enim passu ab eo tantùm abest. Deinde Regniensem Abbatiam sanè celebrem penè attingit. Denique cis Altissiodorum in Icaunam flumen apud Chenij portum effunditur. Quidam tamen *Bonardij* id fieri dicunt propè *Bassotium* vicum, loco quem rustici appellant *Os Armentionis*, id est buccam siue ostium, vulgò *la gorge d'Armenson.* Cura quoque citra Crepatium & Autissiodorum in Ionam labitur. In eadem Autissiodorensi diœcesi oppidum *Clementiacum* situm est, oppidum inquam commodius per fluuium Icaunam vehendis mercibus rebusque omnis generis *Monasteriolum* vsque quod Diuo Martino, vt suprà diximus, dicatum est, atque à *Launomari* Blesensi cœnobio dependet. Et apud *Monasteriolum* quidem deficere Iona vulgò dicitur: & iure, quia ibi Sequanam ingressus nomen amittit. Porro Clemencia-

SEQVANA.

Tõnerre

Regny.

Bassous.

Os.

La bouche d'Armẽson.

S. Launer.

Monstereau faut-Yone.

SEQVANA. cum Niuernenſi territorio recèns additum eſt, etſi in diœceſi Altiſſiodorenſium verè poſitum, ac in vetuſtis tabulis Clemenciaci nomen habet. *Caſtricium* verò in edito colle ſitum leucis à Niuernarum vrbe tredecim *Morundiæ* caput eſt, vnde crates lignorum Crepantium Altiſſiodorumque per Ionam & Sequanam Lutetiam vehuntur, quod maiores noſtri facere aut tentare ante annos ſexaginta non nouerant. Sed neceſſitas quas artes non inuenit?

Chaſtiau-Chinon Moruãi

Beuuray. Bibracte Gallicè dicitur *Beuuray*, mons eiuſdem Mornundiæ, ſuper quo Franciſcanorum templum eſt; habenturque nundinæ ſingulis annis, calendis, id eſt prima die Maij, quæ incipiunt poſt mediam noctem, & perſeuerant vſque ad horam octauam matutinam tantùm. Apud Morundios vico *Natalonio* oritur fluuius cadens ex alta rupe, magnumque ſtrepitum & murmur edit, ac propter ſaltum quem facit oriens, *Saltus* appellatur, vſque ad *Suram* parrochiam: quamprimum autem ortus eſt moletrinam agit. Ad Monaſteriolum reuertor, idque

ad

ad Briam pertinere, quod regionis nomen est Campaniæ vicinum, lectores monitos velim. Quam regionem Aimoinus historicus *Saltum Brigiensem* appellat. Villonoxæ fluuiolus oritur in Bria superiori propè Abbatiam *Nestensem*, cui nomen *Quieti* in diœcesi Trecensi, in Sequanam mergitur. Et Villonoxæ quidem Pyrites lapis in vineis multus reperitur, quo passim in Gallia vtimur. Iona verò cis Altissiodorum *Iuueniacum* oppidulum, mox celebrem Senonum urbem alluit. Ex membrana veteri scripta apud Pontiniacum anno millesimo centesimo tricesimo, hæc verba ad me missa sunt. *Lamboya fluuius in Vennam defluit, & Venna versus Senonum currit.* Hunc autem Senones ipsi Venetam appellant in antiquis tabulis quas habent. *Villare* vici nomen est, cujus territorium vsque ad eum amnem excurrit. Antiquitus fuisse vrbem muro cinctam, & quatuor portas habentem constans adhuc fama est, atque instrumentum publicum adhuc superest, in quo hæc verba leguntur: *Archipresbyter Venetensis*

SEQVANA

Sault. r

Villenosse, r. Neste. Repos.

Lamboye, r. Venus.

SEQVANA. *preſbyteros congregat ad Eſcheias quæ Veneta flument alluit.* Itaque Venenta amnis qui eſt Venena abſque dubio oritur vno milliari à Tricaſſinorum vrbe, è fontibus *Gelanis* in parrochia *Toruillari*. Sunt enim publica documenta membranea cœnobij *Vallis Lucentis* vbi fons Vennæ viſitur in paruo & ignobili loco, à quo vſque ad oſtium ſuum in Ionam ſunt milliaria vndecim numeranda, triginta tres moletrinæ varij generis, quędam frumentariæ aut quibus ſecala ſiue ſiligo teritur, aliæ quibus papirus fit, aliæ fullonibus vtiles ob pannorum vſum. Octo etiam riuuli qui in eum fluunt, quorum primus à fontibus, qui Buſſei conſiſtunt. In tribu ſancti Leobaldi duo ſunt: vnus erumpit apud Diarreum ſancti Petri, ibique fontem habet: alter manat è *Bernayo*, qui fluit *Sangiacum*, *Ferrarias*, *Valconem*, & *Tuiſium*, influitque in Vannam, ſeu Venetam, ſeu Venenam ſupra caſtrum eiuſdem Leobaldi ſancti viri. Paucæ moletrinæ, id eſt, ſolùm in eo amniculo viſuntur. Alius quoque riuulus à *Sillerino*

fluens apud *Floßiacum* se effundit in eum ipsum amnem, quemadmodum & alius qui manat è stagnis Monasterij Vallis Lucentis, quod est Cisterciensis ordinis, in diœcesi Senonum, atque apud *Molimontem*, infraque in Vannam effunditur. Præterea alius qui in fossas Chisij in valle quadam positi, quo loco Vannam quoque ingreditur. Denique riuus est alius qui Darce fluit, ac supra pontes ad Vannam in eum labitur. Postremo hic amnis per suburbium Senonense *Senonas* ingressus, industria & artificio aquæductuum intus ingreditur, & vicos vrbis singulos viasque purgat. Placuit Bononi Vallensi Abbati, fratribus quoque, hoc ipsum ex communi consensu poscentibus, ut in prædiolo suo quod est in suburbio Senonicæ vrbis, sub ipsis ciuitatis mœnibus sito, monasterium fundaretur vbi prisco tempore conditum fuerat. Qui locus & situs oportunitate, & Icaunæ fluminis pręterfluentis amœnitate ad id construendum aptissimus videbatur. Ergo ędificata pulchro satis schemate

SEQVANA.

SENS.

SEQVANA. Basilica, cęterisque habitationibus religioni monasti ę congruentibus illuc beati Romani corpus cum lętitia transtulerunt, vbi florent meritorum eius insignia. Hęc in vita sancti Romani confessoris Itali, à Giesilberto monacho Senonensi scripta. Lamboyam fluuium in Vannam fluere suprà diximus. Origo eius Beati Medardi parrochiam, fontibusque aliquot eiusdem Medardi & *Aquensibus* limpidissimis
A IX. accrescit. *Aquæ* etiam sunt recessus Episcoporum Tricassinę vrbis, de qua Lupus Ferrariensis in epistolis loquitur. Ex in Sequana sub ponte Icaunę sublicio fluit, quem rustici *Pontigonem* vocant, cùm pontem Icaunę dicere oporteat. Neque enim licet scriptorum voces pro arbitrio corrumpere. Odorannus Senonensis scribit ad illum pontem habitam Synodum Ludouico Balbo tunc rege, eamque inserit. Pons autem ad Icaunam constructus à Senonum vrbe distat milliaribus tribus, & à ponte vsque Monasteriolum quinque. Gislebertus quoque, de quo diximus cap. 17. de eo

ponte ſic ait in vita beatiſſimi Romani, *In villam quæ Pons nomine ſupra Icaunam fluuium* Et in veteribus tabulis beneficiorum Pontis ſuper Ionam. Sequitur *Monaſteriolum Martini*, vbi vt ſupràiximus, Icauna in Sequanam labitur. In eiuſque loci ponte lapideo vidente Carolo ſeptimo Ioannes ducis Burgundiæ filius à Tangario Caſtello patrum memoria cęſus eſt, idque facinus magnarum in Gallia calamitatum cauſa fuit. A Monaſteriolo *Meledunum* vſque numerantur ſex milliaria tarrt euntibus, per fluuium verò ſeptem & amplius. Gobelinus in actis Pij ſecundi aliquot Gallię locorum, temporibus Ludouici XI. mentionem facit, ac primùm in agro, inquit, Siluanectenſium eſt oppidum cui nomen *Crepi*, id noſtri maiores *Criſpiacum* vocabant; ſecundò Melledum, ait, non ignobile Senonum oppidum, non niſi tertiis caſtris intercludi poteſt, quorum alterum nullo ſit vſui. Et de Victriaco ſic ait, Victriacum non parui nominis oppidum in agro Campaniæ Catalaunicæ. Igitur ver-

SEQVANA.

MELVN.

SEQVANA. ba illa de Victriaco incenſo intelligenda ſunt. Et de Creuanto, oppidum, ait, apud Ionam ſitum, & Iona flumine paruo ſpatio relicto ab oppido muros excurrit non minor Arari: qua in re non puto ei fidem habendam, quia Araris maiores ſunt aquæ. De *Bella villa* in hunc modum loquitur: Oppidum Bellauillæ apud Ararim obſedit, Bellauilla oppidum eſt iuxta Ararim in regione Belliiocenſi. Item ait, Philippus Auaricum conceſſit, quod hodie Niuernum vocat. Id omnino falſum eſt, nam Auaricum oppidum eſt Biturigum, quod numquam vocatum eſt Niuernum. Poſtea Burgundionum, inquit, campos Arar fluuius irrigat, qui à monte Iura exortus non longè à Lugduno in Rhodanum fluit. Inter Burgundiones multi annumerantur populi, hi Sequani ſunt & Veſuntiones, quos *Dubius* præterfluit amnis, & Lugdunum, Cabillones & Matiſcones, & Altiſſiodorenſes atque Celtarum ferè omnium quondam Principes Hedui. In quo loco quod ait Ararim à monte Iura exoriri,

fallitur, nam à Vogeso profluit. De Lotharingia Galliæ, inquit, prouincia est non procul à Rheno Mosella amni circumjecta, à Lothario Rege nomen accepit, cui cum fratribus Regnum Franciæ diuidenti sortè obuenit. Omnes autem loci iam continentur libro nono, & lib. septimo. Loco, inquit, Ripaliæ nomen fuit, mille passibus ferè ab oppido Tononio distanti. Hoc autem oppidum propè Lausanam est. Alius eiusdem auctoris locus est libro sexto, Monterianum oppidum ad confluentes Ionam & Sequanam situm est, Monasteriolum id dicimus. SEQVANA.

Inter hæc loca Monasterioli & Meleduni medio quasi itinere *Lupa* amnis in Sequanam influit. Anonymus Floriacensis monachus libro 4. de miraculis sancti Benedicti. *Albericus*, inquit, *vnus ex primoribus castri Castellionis, quod est situm super Lupam fluuiolum, vesaniæ stimulis agitatus prædia sæpe dicenda Patris Benedicti deuastabat.* Hęc ille de Lupa fluuio tradit, & accolæ id quoque nomen à maioribus *Loin, r.*

SEQVANA. suis acceptum adhuc retinent, ipsumque Lupam vocant. Sed iis vox illa displicere non debet, quia antiquissima est, etsi qui Lonium appellant inepti sanè, aut nescij sunt, quia Gallicè Loupain potius dici debeat quàm Loin. Vitaldus qui Caroli Calui temporibus viuebat, *Leuuam* vocat. Oritur autem circa diui *Ferreoli* oppidum, sub diœcesi Altissiodorensi situm, vnde

Chastilon sur Loin. Castellionem, de quo iàm loquuti sumus, primùm alluit, cuius proprietarius Gaspar Collinius fuit, ciuilium bellorum tuba, quę Gal-

MONTARGIS. liam propè vastarunt. Inde *Montis Argisi* oppidum, cuius pars in edito colle cum valida arce visitur,

Vrepois. vnde syluæ & campi regionis *Vrapisiorum*, ita enim appellantur, procul despicere facile est. Agrum Stampis vicinum ad Vrapisios, & partem illam Lutetiæ Parisiorum, quæ meridiem spectat, ad eosdem etiam pertinere satis notum est, & alia quædam loca eodem nomine

FERRIERES censeri. *Ferrariense* Monasterium Ordinis Benedictini in diœcesi Senonum situm duobus passuum mil-

libus cum dimidio ab Argiſo oppido, etſi quatuor alibi ſcripſimus, & penè ad portas cœnobij in edito & eminenti loco ſiti, vineiſque conſito, ſtagnum ingens quod milliare ferè vnum longitudinis habet, riuulus *Bia*, ſeu *Clerius* amnis ingreditur, qui erumpens mille paſſus, vel aliquanto pauciores facit priuſquam in Lupam influat, in quo excellunt lucij. Aqua enim illius viuaciſſima eſt, pratorum verò ſecundum id ſtagnum virens & amœniſſima copia. Alius quoque torrens *Lunanus*, Vrapiſiorum oritur, & in Lupam tandem rapidus perit, & Lupa in Sequanam abducitur, de qua Armoricus Philippidos lib. 10.

SEQVANA.

Du Biez.

At Senones & terra ferax à flumine Icauna
Vſque locum, quo Sequanio Lupa confluit amni,
Et quæ Moretum, Montemque interiacet Argi.

Præfuit Ludouici & Caroli Calui temporibus Lupus, Ferrarienſis ab hoc cœnobio dictus, propter Ferrarias quarum veſtigia adhuc ſuper-

SEQVANA. sunt: sed Lupi extat liber epistolarum à me primùm editus qui magnam lucem ignotis Ludouici & Caroli rebus attulit atque afferet. Milliaribus quinque abest à Ferraria *Siluiacus*, vrbs siue oppidum à vicina sylua siue nemore vocatum, castrum *Nemoris* & *Nemosium*, sed Siluiaci nomen in epistolis à Lupo ei tribuitur, pontemque habet lapideum, & fornices aliquot non ignobiles. Tandem progressus *Moretum oppidulo*, quod alluit, in Sequanam non longè ab eo influit. Inde parum admodum abest *Fons Blaudi* situs in *sylua Bieria* agri Gastinensis, vt ex litteris Innocentij tertij apparet, datis apud Fontemblaudi anno ab Incarnatione Domini M. C. XCI. Roberto Abbati sancti Germani Parisiensis, siue in castro de Blaudiaco, vt tabulæ Senonenses habent. De qua Regia nuper mentionem fecimus in descriptione natalis & baptismatis Ludouici Delphini, cuius parens Henricus quartus inuictus Francorum Rex. Qui & si Lupam nauicularum patientem esse nouerat, ac per eum mercimonia in

Nemours

Moret.

Fontainebleau

La forest de Biere.

Gastinois.

Sequanam vehi, tamen magno sumptu fossam seu alueolum fieri curat, per quem riuus à *Briaria* oppidulo acceptus à Ligeri vicino Argisi oppidum deducatur magno mercatorum commodo, & in gratiam Lugdunensium nundinarum ac populorum qui Ligerim accolunt. Hoc quidem Rex fieri iubet multo breuiori via quàm olim fuerit cùm à Giemo terra mercimonia ea vehi vsque ad Argisi oppidum necesse esset, & nouem millia passuum excurrere, quod magnum Regi ipsi apud posteros decus & gloriam afferet: sed multo maiorem si à pelago Narbonensi alueum deduxerit per quem à Mediterraneo mari mercimonia vehantur vsque ad Garumnam, indeque Oceanum. Maior enim Hercule ipso hoc opere peracto futurus esset. De Briaria iàm loquuti sumus, quod oppidulum propè Ligeris ripam situm est, à quo vsque Argi oppidum riuus deductus est. Id distat ab eo loco nouem millibus passuum, nec dum alueus ille planè absolutus est, sed ante annum aut biennium

SEQVANA.

BRIARE.

SEQVANA. perficietur, & in Lupam amnem excurret, nec alueus ille sine magno labore, sumptuque incredibili deducitur. Oportuit enim aliquot locis rescindere abuios colles, cędere arbores atque eradicare, cæterosque obices & incommoda auferre. *Urapiorum* felix regio à Montargiso vsque *Castrum Reginaldi*, & *Curtiniacum* protenditur. Nemorense enim siue Siluiacus Vastinensium agri est sub diœcesi Senonum, cuius agri nunc pars ad Briam, pars ad Vastinensem regionem pertinet. Exin Sequana in cursu suo perseuerans in eadem ripa Vastinensium *Meledunum* fluit inter Celtas oppidum in insula fluminis positum. Martianus decipitur cùm ait Episcopalem in eo sedem olim fuisse. Ac Meledunum, etsi in insula constitutum, aëre minus salubre est quàm Lutetia Parisiorum, cui situ persimilis: Insula enim duos vtrinque lapideos pontes habet, & Templum Virginis in insula est quemadmodum Lutetiæ, ac Diui Aspasij nomen in eo oppido magna religione colitur. Distat autem à Regia

La Seine.

MELVN.

Fontis blaudi quatuor passuum millibus, Moreto duobus, & ab eo Barbatulus Cisterciense cœnobium vnico tantum, interque *Samosium*, & *Herissam* vicos, pons olim constitutus è lapide adhuc visitur. Id quoque Monasterium opus Ludouici VII. fuisse narratur ab historicis propter captum in fluuio barbatulum piscem, quo exenterato, ac reperta intus preciosa gemma, templum & Monasterii septa cellasque monachorum construxit, cujus mausoleum siue tumulus in eo magnificentissimè positus est. In tabulis Senonensis Ecclesiæ is locus appellatur *Sacer portus*, aliàs de Barbillo, idque Monasterium est tribus supra Meledunum milliaribus. *Vosia* Briæ modicus amnis *Pruuinum* alluit, acceptoque *Durtano* in Sequanam excurrit. Neque existimandum AGENDICVM *Senonum* fuisse vbi Pruuinum est, vt Marlianus facit. A Meleduno autem singulis octo diebus *Melunius*, id est, nauigii genus, die lunæ Lutetiam venit, ac domum redit

SEQVANA.

Barbeau Abbaye.

La Vousie.

Durtan r.

Provins.

Le Melunois,

SEQVANA. die Mercurii, alius die Martis, vectusque ad suos biduo post, utilis vehendis viatoribus, & mercimoniis afferendis exportandisque. Pontes verò *Yonæ* hi sunt, Crepantii, Altissiodori, Iuuiniaci, Villænouæ Regiæ, Senonensis, omnes constructi è lapide. Pons super Icaunam ligneus è subliciis. Nam Monasterioli pons Sequanæ impositus Ionam quoque accipit. Occurrit deinde *Corbolium* septem tantum à Lutetia passuum millibus, vbi IOSSEDVM eidem Lutetiæ propinquum plerique existimant, de quo Cæsar mentionem facit. Victorianus Annalis Corbolii nomine vtitur, ac de Exuperio ejusque lipsanis sic agit. *Anno* DCCC. LXIII. *dicitur esse translatum corpus Sancti Exuperij apud Corbolium de vrbe Bajocensi, & primò apud Paludellum villam super Exonam, & post apud Corbolium, vbi nunc, id est anno Domini millesimo trecentesimo quinto decimo & decimo octauo, & decimo nono multis & mirandis claret miraculis.* Et ab aquis sonanti-

Corbeil.

Patlueau.

bus Exonam dictam eruditiores putant. De agro Corboliensi vulgo dici solet. SEQVANA.

Fruict de Corbeil, belle depesche.

Id est, mala persica ex illo agro facile venduntur, quia bonitate excellunt. Corbolium dicitur opidum Regis Franciæ, quod Sequana fluvius alluit, in Parisiacensi Diœcesi constitutum. Hujus præposito grandis erat non modò gratia apud dominum suum, sed & in palatio locus. Quem in occursum præsulis sancti mittere studuit Rex deuotus, præcipiens non modò humanitatis officia, sed debitam reuerentiam à suis omnibus ei in locis omnibus, quantum pateretur, impendi. Sic in oppido supradicto humilis seruus Christi de mandato Regis in regia domo suscipitur. A Corbolio etiam die martis nauigium Lutetiam venit, reditque Mercurii, atque iterum die Veneris vt die Sabbathi domum reuertatur, vectoribus, frumento, rebusque aliis plenissimum. Ibi Diuus Ludouicus regiam *Le Corbillac.*

habuit, cujus veſtigia ipſe & alii vidimus, prope oſtium *Iunnæ* amnis in Sequanam influentis ad portas ejuſdem Corbolii. De hoc amne & Exona vico Pariſiorum in militari via quâ Lugdunum itur Aimoinus hiſtoricus, non ille quidem Floriacenſis libro tertio, ſic ait: *Theodoricus apud Stampas ſuper fluuium Iunna, contra Clotarium, qui haud ſegnius parabat occurrere, aciem dirigit.* Et Iunna quidem è Belſia originem ducens *Stampas* vrbem alluit, Villam Regiam, mox Exonam non ignobilem vicum fluit antequam Corbolium perueniat, ac frumenta è Belſia per eum vehuntur in Sequanam Lutetiæ commodo. Cancris abundat craſſioribus quàm alibi viderim. Itaque apud Stampenſes in menſarum deliciis habentur. Idem fluuiolus anguſti aluei eſt, verùm profundi atque alti, & propterea nauigabilis. Sed Iunna quia frigidiſſimas ac fontanas aquas habet, idcirco pedes equorum tacita torpedine ſolet inficere. *Loa* amnis oritur è fonte ſanctæ Apol-

SEQVAN.

La Iuyne autrement la riviere d'Eſtãpes.

ESTAMPES.

Loët, r.

linæ, labiturque in ſtagnum *Molinexium* prope ſancti Medardi, ſeu *Martis oppidulum*, indeque in Iunam Stampenſem fluuium labitur duabus leucis ab eo. Hic autem fluuius Loa dicitur à Gregorio Turonenſi in appendice. *Protinus*, ait, *cum exercitu per fluuium Loa Stampas peruenit.* In Chronico autem Beſuenſi hæc inuenio. *Cùm Theodoricus comperiſſet quod à Clotario pars Regni ſui contra jus fuerat prærepta, protinus cum exercitu Stampas ſuper fluuium Loa peruenit, ibique obuiam Meroueus filius Clotarij Regis cum Landerico & magno exercitu venit. Cùm eſſet arduus tranſitus ille, Loa fluuius tranſmeatur, vix tertia pars exercitus Theodorici tranſierat, initum eſt bellum, ibi Meroueus filius Clotarij capitur, Landericus in fugam verſus eſt, nimia multitudo exercitus Clotarij trucidata eſt. Theodoricus Rex victor Pariſius ingreditur.* Orgia quoque riuus oritur ſupra *Dordingam* oppidum quod incolæ & cæteri hodie *Dordanum* ſolent appellare: ſed auctores qui Aimoini hiſtoriæ

SEQVANA.

S. Mars

Orge, r.

SEQVANA. juncti ſunt, Dordingam vocarunt. Poſtea *Caſtrenſem* pagum alluit, cujus patronus ſanctiſſimè colitur.

CHATRES. Hic *Yonius* Diui Dionyſii ſocius

S. Yon. fuit, nec procul ab eodem loco in monte finitimo ſecuri percuſſus eſt. *Chatras* Paulus Æmilius quod ſciam primus dixit. Exin *Sauinia-*

Savigny. *cum* alluit, qui locus nominatim ſuper hoc fluuiolo eſſe dicitur, denique in Sequanam influit. Dionyſius leuita Yonium ad prædicandum direxit apud pagum Caſtrenſem, qui cum eo ab Athenis Romam aduenerat. Cùm autem Iulianus tres lictores miſiſſet qui beatum Yonium diligenter perquirerent, præcedentibus aliis prope Pariſius, cui vicinus eſt pagus ipſe Caſtrenſis, reperiunt eum in loco qui dicitur mons ſancti Yonii viginti, vel circiter millibus à præfata ciuitate Pariſius diſtans. Viginti autem millia paſſuum æquamus ſeptem leucis aut circiter. Boëſſiacus vicus eſt in pede montis Yonii. In Brienſi verò ripa

CHARENTON. apud *Carantonium*, inclitum & notum flumen *Matrona* mergitur

in Sequanam. Ausonius Consul Romanus in descriptione Mosellæ fluvii ait: SEQVANA. *Marne.* r.

Non tibi se Liger anteferet, non Axona præceps,
Matrona non Gallis Belgisque intersita fines.

Quod à Cæsare quoque iu Commentariis libro primo de bello Gallico ei tribuitur. *Materna* sanè dicitur ab auctore qui Aymoino historico addidit. Verùm ineptè vt opinor, nisi mendum dicatur factum à typographo vt assolet; qui pro Matrona Maternam posuit. Oritur autem in vico à Lingonum vrbe distante milliari vno, qui *Balisma* nominatur, loco verò ortus sui *Marnottæ* nomen est. Marcellinus libro decimo quinto, qui Iuliani Cæsaris in Gallia miles fuit: *Matrona*, inquit, *& Sequana prope castra Constantia funduntur in mare.* Et rursus, *Gallos ab Aquitanis Garumna flumen, à Belgis Matrona & Sequana diuidit.* Quod quidem de neutro fluuio dici debuit; primus enim in Sequanam funditur, nec Sequana

SEQVANA. tam prope eadem caſtra Oceano permiſcetur, cùm apud Areflu-ctum in Caletibus id fiat, interſitque Aulercorum Regio. Ac propter gurgites quos habet & natatoribus & navicularibus periculoſiſſimus eſt. A Baſſo, Lingonum præfecto fama eſt *Baſſiniam* regionem dictam. In ea ſunt *Lingonicæ* veteres in ſylua ingenti, cui *Paſſauantiæ* nomen, vbi quamplurima rudera & veſtigia tuborum, marmoreique tumuli, vrbiſque reliquiæ adhuc viſuntur, indeque ad mœnia *Lingonum* vno die peruenitur. In eadem Baſſinia loco cui *Conflictus* nomen, viſuntur antiquiſſima monumenta Latinorum, quæ ineptum vulgus cœmiteria Sarracenicæ gentis appellat. *Caluimontis* municipium in eo tractu ſitum eſt, altæ rupi ſuperpoſitum, cujus radices ſubluit *Suiſia* limpidiſſimus amnis. Is fluit juxta Caluummontem à Meridie, vt Matrona à Septentrione, ortus quatuor aut quinque milliaribus ſupra id oppidum, in via qua *Diuionum* itur, prope *Marneium*, &

Baſſigny.

Coeffy.

Chaulmont.

Suize,

Villare vicos, in Matronam tandem labitur infra vicum Buxeruillam quarta parte milliaris ab oppido distantem. Prope *Vangionis riuum*, id est, amplissimum vicum, à Vangione gigante, vt accolæ fingunt, appellatum, Matrona fluit. Abest autem Vangionis riuus octo leucis ab oppido *Barri ad Albam* flumen, nec procul à finibus Lotharingiæ, & duabus tantum leucis à fonte Matronæ distans. Hyeme vado transiri nisi magno periculo non solet, piscosusque amnis est qui in Matronam influit. Quod quidem flumen *Victoriacum Parthorum* alluit, non illud quod Hispani superioribus bellis incenderunt, sed quod à Francisco primo Rege nomen accepit, & ab Incenso distinguitur adjecta hac qualitate. De quo Aimoinus libro 3. capit. 14. libro 4. cap. 51. *Eodemque*, ait, *veniente Sigeberto ad villam cui nomen est Victoriacum, collectus est ad eum omnis exercitus, impositumque super clypeo sibi regem statuit.* Victoriaci autem Matrona nauigiorum patiens esse incipit us-

S QVANA. *Marney. Villiers Buxeruiile. Vennory ruisseau. Vitry le François. Vitry le Bruslé.*

SEQVANA. que ad ostium. Gregorius Turonensis Victoriaci meminit non vtriusque, sed quod nunc Incensum appellamus. Planeque compertum est Vitriacum Francisci Regis non distare ab alio nisi quarta parte leucæ, & Matronam instar fossæ illi seruire, vt *Saltum* amnem Vitriaco alteri, à casu sic appellato. Saltus autem oritur è montibus qui sunt vltra *Ligninum* Barrensis agri, fluitque *Barum Ducis*, posteaque *Magneuillam*, *Bignicurtum*, *Victoriacum Parthorum*, accipiturque à Matrona loco cui Saltus buccæ nomen est, quod idem significat atque ostium, abestque quindecim aut sexdecim leucis à fonte. Postmodum *Catalaunum*, præcipuam vrbem, sedemque Episcopalem interluit, ibique lapideum pontem habet. Memius cum beato Dionysio à Clemente, multisque aliis ad prædicandum missus ad vrbem Catalaunensem venit, & vno ferè ab vrbe milliario speluncam sibi pro mansione statuit, & cùm octoginta annis, vel circiter eidem Ecclesiæ præfuisset,

Sault, r

Bar le Duc.

Vitry en Partois.

Chaalons.

migrauit ad Dominum. Vna leuca seu milliari à Catalauno situm est castrum Episcopale cui *Salio* nomen, & pari spatio Templum Virginis, cui *Spinæ* nomen, cruxque inter Salium & Spinam reperitur, vbi constans fama est pugnatum adversus Attilam, & parum abest Vidula amnis Remos petens. Exin *Aspernacum*, & *Castellionem* oppida à Flodoardo Canonico Remensi, atque Hincmaro scriptoribus egregiis celebrata. *Curtaco* stagnum est Campaniæ quatuor leucis ab Asperneto distans, tamque capax piscium vt singulæ piscationes ejus æstimentur octo millibus Francicorum. Maximina gens Parisiensis nuper eum possidebat. *Asparnacum* oppidum est in finibus Campaniæ Rhemorum ad ripas Matronæ fluminis. Stagnum Belleuallis Campaniæ quoque est, quod septem in circuitu leucas complectitur, fuitque Dormanicæ familiæ nobilis & notæ ab eadem Campania, Dormannisque ad Matronam oppidi; & profectò piscatio fieri solita septimo quoque anno,

SEQVANA.

Espernay.

Chastillon.

SEQVANA. & vendi duabus librarum millibus cuilibet emptori plus offerenti. Et quidam Tricassis nomine Argentarius illam emisse dicitur. Ronio siue Rognanus duobus millibus supra Monasterium *Baufremontij* oritur, quod est caput ordinis Religiosorum Charitatis beatæ Mariæ Virginis regulæ Diui Augustini, dictumque Monasterium alluit, inde ad Abbatiam Sancti Vrbani Ordinis Cluniacensis, juxtaque Ionuillam arcem nobilissimam gentis Guisiorum, postea Vitriacum Francicum, postmodum ad Sanctum Desiderium, denique Matronam ingreditur. *Blasia* centesimo passu à *Blancacuria* oritur è fonte, qui manat è duobus altis montibus, quorum vni *Reginaldiæ* nomen, vino & vitibus fertili, alteri *Perticæ*, grano admodum affluenti per Conuentum beatissimæ Virginis Mariæ à Ioanne Baldricurtio constitutum Ludouici vndecimi temporibus, fluit, *Blasiæque* nobilis castri fossas implet, atque vbi attigit *Blesecium* in Matronam flumen labitur media

Roignõ, 1.

Blaise. 1

media leuca à *Lasicuria*, & quatuordecim tantùm milliaria longitudinis habet. Id cœnobium primum locum tenet in Ordine Sancti Francisci à Paula, qui ad Regem veniens apud Blasiam exceptus est à Ioanne militari viro, qui illum ex Italia in Galliam mandato Regio adduxerat. Et in diversa ripa Matronæ *Auisiacum* generoso vino celebre, *Dormanosque* non ignobile oppidum, & *Castrum Theoderici* diues & opulentum alluit. Et ab oppido Theodorici non multum abest *Veriurus*, seu *Virtutum vicus*, in pago Catalaunico: nam ita à Galabro egregio scriptore nominatur libro secundo capite vndecimo, & in vita Arnulphi Suessionensis Episcopi hæc verba legi: *Venit in Campaniam ad castrum quod Virtutum appellant.* Postremo MELDORVM vrbem Cæsari notam nunc interluit, cùm olim tantum alluueret, ac pontem in ea lapideum habet. *Latiniacum* denique antiqui Monasterii Benedictini atque oppidi nomen, cujus Beda meminit in Epitome

SEQVANA.

Ay.

Chasteau-Thierry.

Vertus.

MEAVLX.

Lagny.

Anglorum historiæ. Et S. *Mauri Fossatensis* cœnobium ejusdem ordinis, & si nunc Pontificis auctoritate pro Monachis simplices tantùm Canonici nominantur, ac supra id Monasterium Matrona etiam ponte jungitur antequam *Carantonium vicum* in parochia *Confluentij* flumina Sequanæ & Matronæ perueniant. Quo quidem in vico lapideum quoque pontem habet.

SEQVANA.

Charanton.

Conflãs

Nunc operæ precium erit *Briæ* ipsius, quæ regio Pruuinum usque protenditur oppidum Ioanni Saresberiensi eruditissimo viro notissimum, flumina in Matronam labentia breuiter attingere, atque imprimis *Vrcam* amnem qui *Assium* vicum alluens apud *Moncellas* Regiam domum amœnitate nulli imparem effunditur, vna & amplius leuca à Meldensium ciuitate. Aimoinus libro 4. capit. 41. *Audoenus*, inquit, *fabricauit Monasterium intra Brigensem saltum, quod Hierusalem ab eo quidem nominatum, verum à fluuiolo super quem est situm Resbacense nunc*

Brie.

Prouins

Ourc, r.

Rebes.

dicitur. Vincentius Beluacensis de eodem sic loquitur in vita Sancti Audoeni, *Supra torrentem quem veteres incolæ Resbassem dixere.* Idem autor eodem capite. *Rado*, inquit, *Monasterium construxit super Matronam flumen quod nominauit Iotrum, in quo ipse sub regula Abbatis Columbani Deo vsque ad diem seruiuit vltimum.* *Morinus* amnis per *Columniacum*, *Cresciacum*, ac *Colinium* pontem Virginum Cisterciensis ordinis, quæ *Dominæ* vulgo appellantur, fluit, apud portum Condensem nauicularum patiens. Quinquaginta enim cadorum qui vino pleni sint, aut alio liquore, seu materia, onus patitur. Irrigat etiam campos Pruuino proximos, eosque fertiliores reddit, ac propè Laliuiacum in Matronam occurrit.

SEQVANA

Ioaire.

Morin.

Colomiers.

Cressy.

Colin.

Le Pont aux Dames, & Les Dames de Pont.

SEQVANA autem à Confluentibus Latiniam Parisiorum fluens, primum alluit vicinam Ripæ domum, in qua Echo mirabilis voces humanas crebro repetit, & dimidium versum vt *Arma virumque cano*, ejusque singulas voces decies

SEINE.

SEQVANA. aut duodecies ingeminat. Quo fit vt legati principum magnique proceres & juventus tota eo confluat, oblectationem animi singularem ex illo vocum sono percipiens atque hauriens. In aduersa autem ripa juxta Lutetiam occurrit Monasterium Sancti Victoris Martyris, intraque pratum ejus amnis *Bibara*, qui nunc extra septum illius Monasterii labitur in Sequanam, qui tamen olim ingressus vrbem, vsque ad *Bibaræ* vicum Iudæorum in eum influebat, vt nunc quoque vestigia ostendunt. Is amnis Bibara olim vocabatur, vocaturque hodie, à Bibara nobili vico in agro Parisiorum, etsi Bibara semper fuit, ædificia autem vicorum non semper, caduca enim sunt. Patrum enim memoria hic fluuiolus dici Gobelinus cœpit à nomine Ioannis Gobelini aui materni Dionysiæ Gaudaris vxoris meæ, egregii tinctoris omnis generis pannorum, lanarumque cujuscumque coloris, confectorisque optimi purpuræ, quod genus panni Constantinopolim atque in orien-

Bieure, r.

tem ſolem ad remotiſſimas gentes mari vehitur. Gobelinus autem ſe accolam hujus amnis reddidit infra templum beati Hypoliti loco decliui, ædificans in ſuburbio Diui Marcelli nomine dicto, qui Pariſienſis Epiſcopus olim fuit, & Gobelini nomen in poſteris ejus maribus, qui nunc Lutetiæ viuunt diu ſeruabitur. Cujus filius fuit Iacobus Corrector apud Rationales, & Baltazar Præſes Rationalium opulentiſſimus, & alii ejuſdem cognominis & artificio tincturæ dediti cum liberis ſuis ſuperſunt. Hic autem amnis vnde oriatur, & quid habeat proprii narrare mihi propoſitum eſt antequam de Luteria Pariſiorum dicam ea quæ neceſſariò explicanda mihi videntur. *Bibara* oritur apud *Iancurtium* nobilis Pariſiorum agri vicum. *Trappas* inter & *Caproſiam* non ignobilia loca fluit, nec procul à *Montimino*, inde *Butium* quod abeſt à fonte Bibaræ leuca vna & dimidia, mox deſcendit vſque ad moletrinam quæ in valle *Betina* eſt, ibique tenuem riuulum cum *Ionium*

SEQVANA.

Bieure,
r.
Yencourt.
Trappes.
Cheureuſe.

Ioüy.

SEQVANA.

accedit accipit, aptum ad ſtagnum Boueriarum. Inde diſtractus mille paſſus, & aliquanto amplius auctus aquis *Igniacum*, *& Antoninum* vicos petens, Bibaræ quæ fuit Dormanicæ notæ gentis, nomen accipit, poſtea Burgum Reginæ defluens acceptis jàm aliquot, ſed tenuibus riuulis *Gentiliacum* defertur Pariſienſis Epiſcopi amœniſſimum receſſum, vbi Synodus olim habita eſt. Tandem in ſuburbium Sancti Marcelli Lutetiam veniens locum tingendæ purpuræ aptiſſimum, cæteriſque pannis, in Sequanam flumen influit, & cancrorum infinita copia abundare experti ſunt agricolæ Iouii piſcari ſoliti, ſed etiam piſcem non habere niſi cum foſſæ caſtri illius aut ſtagnum Boueriacum extra crepidines diffluunt. Ante vltimum ciuile bellum tingebatur multo melius apud ſanctum Marcellum quàm alibi, ſed adducti ſunt artifices qui tincturam tàm benè faciunt & alibi, quàm quæ fit in eo receſſu, nec tamen vtuntur ālia aqua quàm Sequanæ,

etsi alii aiunt aquam Bibaræ dulciorem, nec corrosiuam quamuis turbida ferè est: id opus juuare, viuaciorem enim, ideoque minus corrigibilem aquam Sequanæ experimento videri. Pannique maximè purpurei qui in Bibara tinguntur colorem viuaciorem habent, quàm qui in Sequana. Nunc de inundationibus ejusdem Sequanæ & Matronæ, quæ olim contigerunt, aliquid dicere præstat, quàm de hujusmodi casibus quos sciri necesse est penitus silere. Gregorius Turonensis capit. 27. libr. 6. *Aquæ*, ait, *extra solitum inualuerunt, nam tantam inundationem Sequana Matronaque circa Parisios intulerunt, vt inter ciuitatem & Basilicam sancti Laurentij naufragia sepè contingerent.* Idem scriptor libro 6. capit. 9. *Tempore*, inquit, *Clotarij Regis apud Parisios ad Basilicam sancti Laurentij gregi monasterioli Domnolus præfuerat postea Cœnomanorum Episcopus.* Hoc autem anno 1608. etsi nives pluuiæque incredibiles inundationes tota Gallia plurimas intulere, nullam

SEQUANA.

SEQUANA. tamen periculosam circa Lutetiam vidimus, quod non sine Dei beneficio singulari dicere & prædicare possumus.

VENTVM tandem est ad insulam Parisiorum, cui nunc in vtroque littore Sequanæ, in dextro quidem vrbs vasta atque ingens, in sinistro Vniuersitas apposita est. Hæc quidem meridiem spectat, vrbs septentriones. Inter has media est insula duplo longior quam latior, quam fluuius ab oriente lapsus circumfluit. Cæsar libr. 6. *Concilium*, inquit, *Lutetiam Parisiorum transfert. Confines erant hi Senonibus, ciuitatemque patrum memoria conjunxerant.* Idem libro septimo, *Labienus cum quatuor legionibus Lutetiam proficiscitur, id est oppidum Parisiorum positum in insula fluminis Sequanæ.* Fortunatus libr. primo de eodem oppido sic ait:

Nos maris Oceani tumidum circumfluit æquor,
At te Parisius chare sodalis habet.
Sequana te retinet, nos vnda Britannica cingit.

Diuersos terris alligat omnis amor. SEQVANA.

Idem Fortunatus ad librum.

Inde Parisiacam placidè properabis ad urbem,
Quam modò Germanus regit, & Dionysius olim.
Si pede progrederis, venerato sepulchra Remedi,
Atque pij fratris complectere templa Medardi.

Idemque Fortunatus libro septimo, ait:

Ipse Parisiaca properat Dionysius vrbe.

Herricus Altissiodorensis qui Carolo Caluo vixit.

Tuque tuum rursus populosa Lutetia nomen
Carmine conde meo.

Quam si populosam tunc vocauit, populosissimam hodie diceret si nobiscum vita frueretur. Et quia populosa est, qua potione populus vtitur breuiter subiiciendum est. Aqua Sequanæ ad potandum melior est quàm vllius fluuii; est enim leuior aqua omnium fontium Parisiensis ciuitatis, talisque inuenta est experimento, cùm levior

SEQVANA. Meudonicis aquis pondere ipſo judicata eſt, & quicumque aquam bibunt, tale de ea judicium ferunt. M. Vitruuii de Architect. libr. 8. Quot modis ducantur aquæ capit. 7. Ductus autem aquæ fiunt generibus tribus, riuis per canales ſtructiles, aut ſiſtulis plumbeis, ſeu tabulis fictilibus, quorum eæ rationes ſunt. Si canalibus vt ſtructura fiat quamſolidiſſima, ſolumque riui libramenta habeat faſtigiata, ne minus in centenos pedes ſemipede, eæque ſtructuræ conformicentur, vt minimè Sol aquam tangat. Inſula ipſa propter Epiſcopatum Ciuitas appellatur, de qua ſic Iulianus in Miſopogone. *Ego*, inquit, *olim eram in hybernis apud charam Lutetiam (ſic enim Galli Pariſiorum oppidum appellant) quæ inſula eſt non magna, fluuio imminens qui eam omni ex parte cingit. Pontes ſublicij vtrinque ad eam ferunt, raroque fluuius minuitur accreſcit, ſed qualis æſtate, talis ſolet eſſe hyeme. Aquam præbet jucundiſſimam & aſpectu puriſſimam volenti bibere. Nam cùm inſulam habitent, ibi ma-*

ximè eos aquari necesse est. Hiems est illic placidissima propter calorem (ut aiunt) Oceani. Stadia enim abest non amplius nongenta, ac fortasse quædam tenuis aura illic diffunditur: videtur autem maritima aqua dulci esse calidior. Sanè igitur ob hanc causam siue aliam mihi ignotam, ita se res habet Hyems ejus terræ incolis mitior est: præterea vites optimæ illic nascuntur: quin etiam ficus multi jàm arte quadam extulerunt, cùm eas per hyemem calamis tritici tanquam vestimentis contegerent, & aliis ejusmodi rebus, quæ cœli injurias arboribus prohibere solent. Erat tum igitur hyems solito vehementior, & fluuius quasi marmoreus crustas præteruehebat (nostis lapidem phrygium, cui persimiles erant candidi istius lapidis crustæ concretæ, magnæ & aliæ ex aliis labentes) quin etiam fluuium conjunctura & tanquam pontem facturæ videbantur. Cùm igitur in his rebus durior & agrestior essem, quam vnquam antea; nequaquam cubiculum in quo requiescebam calefieri patiebar, quia modo illic pluraque domicilia sub caminis carbone calefiunt, cùm tamen ad ignis calorem excipien-

SEQVA-NA.

SEQUANA. dum esset oportunum. Quod tùm quoque accidit ob meam duritiem, atque in me ipsum præcipuè vt verè dicam, inhumanitatem, qui me ad illum aërem tolerandum assuefacere volebam, eùm ejus præsidij maxime indigeret. Cùmque hyems inualesceret, atque indies fieret vehementior, ne tum quidem famulis meis permisi vt domicilium calefacerent, veritus ne humorem qui in parietibus erat commouerem. Itaque accensum ignem & candentes aliquot carbones inferri jussi. Hi vero etsi non multi erant, attamen multum vaporem è parietibus excitarunt, à quo cùm caput meum oppletum esset, somnus me complexus est, ac sane metui ne suffocarer. Verùm raptus extra cubiculum medicis suadentibus, vt cibum quem antea sumpseram, ejicerem, non multum ejeci, neque sanè multus erat: ita me leuatum sensi, adeo vt nocte leuiore vsus fuerim, & postero die ad quiduis agendum paratus. Quare ad hunc modum apud Gallos, sicut ille apud Menandrum discolus, labores nouos mihi procreabam. Verum hoc facile Gallorum rusticitas

ferebat. Nunc interpretor verba aliquot Iuliani, primùm Lutetiam Parisiorum oppidum appellat. Ita Michaël Singelus in Encomio Diui Dionysij. In vita eiusdem quæ est incerti autoris à Ioachimo Perionio nostrate in Latinum conuersa, tradit Dionysium abeuntibus sociis remansisse apud Lutetiam Parisiorum paruum adhuc & exiguum oppidum. Insula enim non est magna, quia quadraginta ad summum iugera terræ continet, vt mensores asserunt. Cùm autem ait flumen omni ex parte eam cingere, hoc & Vibius Sequester dilucidè explicat his verbis: *Sequana Galliæ Lutetiam Parisiorum circumfluit, vel insulam facit.* Cùm vero ait pontes sublicios vtrinque ad eam ferre, profectò temporibus Guntranni & Chilperici vnicum tantum pontem video in Sequana fuisse. Aimoinus capite 48. libro tertio ait: *Apud pontem Parisiacæ vrbis memoratus Princeps Chilpericus custodes posuerat, vt insidiatores de regno fratris sui Guntranni aduenientes arcerentur.* Et ante eum Gregorius Turon. cap. 19. libro sexto de Chil-

SEQVANA.

SEQVANA. perico Rege loquens, *Apud pontem verò Vrbiensem ciuitatis Parisiacæ*, & quæ sequuntur. Idem capite 33. libri octaui, vbi de eo Chilperico loquitur, sic ait: *Extitit his diebus apud Vrbem Parisiacam mulier quæ diceret incolis, fugite ab vrbe, & scitote eam incendio concremandam. Incendium quod ab vna parte pontis cœperat desæuire, ab alia vero parte tàm valide cuncta conflagrauit, vt amnis finem imponeret. Verumtamen Ecclesiæ domibus suis non sunt adustæ: aiebant enim hanc vrbem quasi consecratam fuisse antiquitus, vt non ibi incendium prualeret, non serpens, non glis apparuisset. Nuper autem cum cuniculus pontis emundaretur, & cœnum de quo repletum fuerat auferretur, serpentem, gliremque aëreum repererunt, quibus ablatis, & glires ibi deinceps extra numerum & serpentes apparuerunt, & postea incendia perferre cœpit.* De hoc ponte & Petrarcha loquitur. In vita Liborij Episcopi Cenomanensis reperio hæc verba; *Appropinquantes vero*, inquit, *Parisiensi ciuitati quam fluentis Sequanæ cinctam Iulius Cæsar condididisse & ob similitudinem*

insulæ maris, Isius nominatæ, Parisius fertur appellasse. Simili modo ab Episcopo Iosi illius Ercanrado nomine omnique populo vltra pontem stratum supermemoratum fluuium occurrente suscepti, & in principalem eiusdem vrbis Ecclesiam dedusti sunt; erat autem dies dominica. In quibus verbis qui vitam Liborii scripsit in eo erraui, existimans Lutetiam à Cæsare conditam: neque enim in commentariis de bello Gallico aut alibi à se ædificatam ait. Multo minus ab Isio insula maris dictam refert. Sed vitæ Sanctorum ferè hoc mili habent, quod vel ab imperitis scriptæ sunt, vel ab ijs qui multis seculis post eorum mortem vixere ignaris rerum præteritarum aut Geographiæ, quos proinde sæpe errasse facillimum fuit. Sulpitius Seuerus parum remotus Iuliani temporibus libro 1. de vita Martini: *Apud Parisios verò dum portam ciuitatis illius magnis secum turbis euntibus introiret*, *leprosum*, inquit, *miserabili facie horrentibus cunctis osculatus est.* Postea Iulianus ait raro fluuium Sequanam minui, ac crescere, sed qualis æstate est,

SEQVANA.

SEQVANA. talem solere esse hyeme. Et ratio est, quia ripis coercetur ne extra diffluat & inundet campos. Aliquando tamen quibusdam in locis adeò coerceri non potest, vt quæuis inundatio impediri possit. Cumque ait, *aquam præbet iucundissimam volenti bibere, nam cùm insulam habitent, ibi maximè eos aquari necesse est*, & nunc quoque eodem modo se habet, deferturque per vrbem & collegia, baiulorum humeris, vt incolarum necessitati succurratur, idque leui precio. Et vrbem quidem è proximo vico *Bellæ-villæ super sabulo* per aquæ ductus fontibus abundare satis notum est, & singulos ciues puteos habere, etsi non omnes potui prosint, vtiles tamen sunt domestico vsui familiarum. In Academia verò nulli quidem sunt fontes publici, sed putei plures apti ad bibendum, idque accidit propter situm eius & loca editiora. Possunt tamen ex Issiaco proximo vico facilè deduci per tubulos aut plumbeos, aut ligneos, aut fictiles, quod etsi nondum factum est, breui tamen erit, vt spero. Hyemem

Belle-ville sur Sablon.

Parisiis esse placidissimam propter calorem, vt aiunt Oceani, fortè illo biennio quo Iulianus in Gallia fuit ita res habuit. At nobis qui diu, id est ab annis quadraginta Lutetiam incoluimus, hyemes flante Borea calorem Oceani nobis adimunt. Tum addit Oceanum stadia abesse non amplius nongenta, id est milliaria quinquaginta octo, totidem enim numerantur à Lutetia vsque ad Areflactum ostium Sequanæ terra iter facientibus. nam Rothomagum vsque octo & viginti, inde ad Areflactum triginta supersunt, & Portum Gratiæ à Francisco Rege primo conditum ac nominatum duabus leucis inde abesse dicunt. Sed multo plura propter flexus sinuosi amnis numeranda. De spatio autem vniuscujusque stadii Plinius senior eleganter disserit, & Gregorius Florens Turonum Archiepiscopus capite 46. libri sexti. Villam *Calensem* ait distare ab vrbe Parisiaca quasi centum stadiis, id est quatuor tantùm leucis siue passuum millibus, nam ita metimur. Mox ait, fortasse quædam tenuis

SEQVANA.

Le Havre de Grace.

Chelles.

SEQVANA. aura illic diffunditur, videtur autem maritima aqua dulci esse calidior. In Anglia quidem seu maiori Britannia maritimus ille calor esse dicitur; at nos aut raro aut numquam experimur, neque mitiorem nobis hyemem. In vita enim Dionysij ab incerto autore scienter scripta hæc verba reperio. *Lutetia Parisiorum oppidum idem erat fertile, consitumque & ornatum arboribus, vitibus autem & vuis, vt quod fontibus alluueretur, & suis suppeditaret, erat nobile. In iis etiam mensariorum negotiis innumerabili copia vrbis & finitimorum munitum erat. Piscium præterea copiam ex amne quasi ex maris ore vndarum instar proferens præbebat.* Nec verò exiguum præsidium fluuius ipse mœnibus ferre intelligebatur. Is enim latitudinem vrbis latitudine sua insulæ specie aqua circundabat. Hilduinus Monasterij Diui Dionysij Abbas, qui Ludouico & Carolo Caluo regibus vixit, ita Parisiorum Ciuitatem, id est oppidum describit in Areopageticis. *Parisiorum*, inquit, *ciuitas salubris aëre, jucunda flumine, fecunda terris,*

arboribus nemorosa, & vinetis vberrima, constipata populis, referta commerciis & variis commeatibus, vndæ fluminis circumfluente: quæ si quis inter commoditatum genera etiam alueo suo magnam piscium copiam ciuibus ministrabat. Gregorius Turonensis libro secundo historiæ suæ. *Egressus*, inquit, *à Turonis Parisios Clodoueus venit, ibique Cathedram regni constituit.* Petrarcha in epistola quadam; *Primæ*, ait, *aliarum totius orbis ciuitatum Roma, & Parisij, vno eodemque die ad percipiendum lauream poëticam me vocauerunt.* Idem autor libello contra calumnias, *Schola Parisiensis ceu ruralis est calathus, quo poma peregrina & nobilia vndique deferuntur.* In quo libello multa de Victoriano monasterio & pręclara reperies. Cæsarius Coloniensis monachus Cisterciensium ordinis. *In Parisiensi*, inquit, *ciuitate fons est totius scientiæ & pietatis*, libro 5. cap. 22. Gregorius quoque nonus Romanus Pōtifex appellat Academiam Parisiensem parentem scientiarum. Bernardus Clareuallensis his antiquior. *Parisij*, inquit, *nobilis ciui-*

SEQVANA.

SEQVANA. *tas Galliæ, & Regni ſedes lib.* 3. de conſiderat. Itaque illam, ſicut Cydonem FLORVS vrbem vrbium, ſic ego Lutetiam, quòd in ea hominum ſit infinita multitudo, appellare audeo. Libro quinto narrationis amatoriæ verba hujuſmodi legiſſe me memini. *Iubenti mihi ciuitas Alexandria amplior apparebat quàm vt habitatoribus compleri poſſet, populus autem tàm numeroſus videbatur vt aliqua ne ciuitate contineri poſſet dubitare cogeret.* Et populoſam Lutetiam Herricus Altiſſiodorenſis in vita Germani appellat. Iulianus Sarapioni clariſſimo, de Damaſco ita ſcribit: *Æquum erat, opinor, veram Iouis vrbem, totius Orientis oculum (ſacram & ampliſſimam Damaſcum dico) cum omnibus alijs rebus, vt ſacrorum elegantia, templorum magnitudine, temporum anni opportunitate, fontium nitore, fluuiorum multitudine, terræ vbertate vinceret.* Gregorius Nazianzenus Euſtachio Sophiſtæ epiſtola 111. *Fac Alexandrum imiteris vir admirande, qui Athenienſibus placere ſtudens regni ſui theatrum Athenas appellabat.* Laonicus

Chalcondilas libro secundo histo- SEQVA-
riæ. *Vrbs maxima & ciuitas Parisio- NA.*
rum sedes est, inquit, *& caput totius regni, siue situs pulchritudinem, siue multitudinem populi, mores ciuiles atque humanitates, incolarum opes, commoda & abundantiam omnium rerum quas expetere possis, ac multo post se relinquit omnes alias habitationes nunc vsque cognitas.* Apud Ioannem Villaneum grauissimum scriptorem & iudicij plenum idem reperio quod postea à Nebiano Episcopo Ligure scriptum video. *Remotis suburbijs Parisiorum Lutetiæ spatium triginta millia palmarum non multum excedere, Florentia cinctu murorum grandior est quàm Lutetia passibus quinquaginta, suburbia verò non habet extra vrbem & multo plures horios intra.* Iulius Cæsar Scaliger exercitatione 67. *Gallos*, inquit, *video ad omnia momenta vel euentuum, vel disciplinarum promptos, paratos, versatiles: vt semel quicquam vel visum, vel auditum, illicò apud eorum ingenia & deponat & amittat nouitatem. In eo ipso penitus ex templo videntur nati atque educati. Qui animorum vigor in-*

SEQVA-NA. *gens, maturaque celeritas, nulli alij nationi data est à natura. Quoquò incubuere, felicissimè sese dant, ocyssime proficiunt, gnauiter exercent, mercaturam, artes, arma, litteras, eruditionem, subtilitatem, atque nationum fide sunt maxime integra, & constanti.* Et exercitatione 260. idem Scaliger ait: *In Gallia Lutetiam contemplare, quæ duodecim millia domorum continet intra muros, præter eos vicos, qui sunt in pomœrijs, quorum capacitas longe vrbem ipsam dicitur superare. Domos autem illas ne putaueris casas; sunt enim plurimæ quæ aliquot hominum millia capere queant: in quibus scientiarum omnium, trium linguarum cultus, eloquentiæ exercitationes superant auditorum fidem. Hæc tamen vrbs neque in feruida, neque in gelida, neque omninò in sterili regione sita est: & habet magnas vrbes vicinas nobilissimas, Ambianum, Rothomagum, Aurelianum: oppida verò clarissima, populosissima, opulentissima complura. Neque tamen eius magnitudinem magnitudini regni adscribas: non enim ibi regia stata est: non eo deuoluuntur suprema iudicia prouincia-*

rum, non ad eam fluuius, aut mare diuersis aut longinquis è locis vehit incolas. Quin Rothomagus mari propior, portus vtens beneficio, minor est. SEQVANA.

Nec verò vt Iulius Scaliger domos vrbis Parisiensis ad decies mille numerabo, vt ille facit ante quadraginta annos: Sed sub Henrico quarto Regni dominatore ciuitatem quingentis domibus auctam assero. Cæsar ipse libro septimo de Gallis loquens, *vt est summæ genus solertiæ atque ad omnia imitanda & efficienda quæ à quoque tradantur aptissimum.* Bucananus quàm præclarè de Gallia, de Lutetia, de literis ibi florentibus, deque Budeo ciue Parisiensi sentiat hi versus indicant:

Sunt vniuersi splendor orbis Galliæ,
Et Galliarum splendor est Lutetia,
Splendor Camœnæ sunt sacræ Lutetiæ.
Budeus ornat vnus innocentia:
Splendore vitæ, litteris, solertia,
Orbem, Camœnas, Galliam, Lutetiam.

Idem de Budeo ita canit:

Gallia quòd Græca est, quod Græcia barbara non est,
Vtraque Budeo debet vtrumque suo.

SEQVANA.

Situm autem vrbis & academiæ, & ciuitatis Parisiorum elegantissimè Ariostus poëta Ferrariensis tradit in hunc modum.

Siede Pariggi in vna gran pianura
Nel vmbilico à Francia, anzy nel cuore.
Gli passa la riuiera entro le mura,
E corre & esce in altra parte fuore;
Ma fà vna isola prima; è vaßicura
De la Città vna parte, è la migliore:
L'altre due (ch'in tre parti è la gran terra)
Di fuor la fossa, è dentro il fiume serra.

Etsi Cæsar libro sexto videtur aliter quàm Ariostus sensisse. *Druides*, inquit, *certo anni tempore in finibus Carnutum, quæ regio totius Galliæ media habetur, considunt in loco consecrato.* Igitur non Lutetiam Parisiorum, sed Carnutos totius Galliæ medios putauit. Verùm quod iureconsulti aiunt proximè cingendus habetur pro cincto, ita id quod parum abest, omnino abesse non videtur. Ita regio Carnutum, quæ vicina est Parisiorum finibus, vixque distat à Lutetia decem & octo passuum

ſuum millibus, bina millia paſſuum pro ſingulis leucis complexi, non inepte affirmabimus, Lutetiam vmbilicum totius Galliæ aut cor videri. Commodum autem Lutetiæ incredibile eſt gipſus, qui adhibito tantum igni & aqua molleſcit, & lapis qui intra & extra vrbem reperitur, ut facile & paucorum menſium interuallo vaſta domus & quiduis aliud ædificari poſſit, & ornamenta quæ decori intra & extra domum ſunt præſto fieri; gipſus enim ſtatim areſcit, vnde dici ſolet de ebriis eos vinum, vt gipſum aquam ebibere. Cùm Henricus tertius Rex Poloniæ electus eſſet, Conradus tantam lætitiam nuntiaturus mutatis equis Lutetiam venit, Philippo Huralto Cancellario tunc anuli Regii cuſtode, qui mihi vt domeſtico hominem parum Latinè ſcientem commiſit, vt eum quò vellet deducerem, qui inſpecto Virginis templo & altiſſima turri, vbi campanile eſt, rogavit vt ad ſummam turrim vna aſcenderemus: quod propter graduum infinitum pene numerum non ſine labore

SEQVANA.

SEQVANA. fecimus. Tunc ego, quid vides domine Conrade? Inspecta vrbe, non vrbem inquit, sed orbem video. Guillielmus Armoricus Philippidos lib. 1. ait.

——— *Franci*
Finibus egressi patriis per Gallica rura
Sedem quærebant, ponendis mœnibus aptam,
Et se Parisios dixerunt nomine Græco,
Quod sonat expositum nostris audacia verbis:
Erroris causa vitandi nomine solo,
A quibus exierant Francis distare volentes.
At iàm Sequaneo surgebat littore cunctis
Vrbibus vrbs speciosa magis, bona cuius ad vnguem,
Commendare mihi sensus breuitate negatur,
Quod caput est regni, quæ grandia germina Regum
Educat, & doctrix existit totius orbis,
Cui quamvis verè toto præluceat orbi,
Nullus in orbe locus, quoniam tunc temporis illam
Reddebat palus & terræ pinguedo lutosam,

Aptum Parisii posuere Lutetia nomen. SEQVANA.

Cuius auctoris opinionem improbo, cùm Lutetiam Parisiorum insulam dici à Cæsare videamus, qui multis ante adventum Francorum seculis in Gallia fuit. Quod verò illam vrbem vrbibus magis speciosam prædicat, id est vrbem vrbium, ut de Cydone diximus, Cathedram Regni fuisse constitutam, regiosque filios in ea educatos à Merouco, Childerico, & Clodoueo, atque aliis, Gregorius Turonensis primique scriptores docuerunt. Cùm vero adiicit *& doctrix existit totius orbis*: Item, *quanto toti prælucet orbi*, id verissimum non puto: tunc enim disciplinæ Lutetiæ Parisiorum non colebantur præterquam in Episcopio, vt ex Conciliis Parisiensi & Meldensi curiosi facilè perspicient. Et cùm ait tunc temporis paludem & terræ pinguedine lutosam Lutetiam fuisse, propterea aptum nomen ei impositum, minus decipitur, minusque nos decipit, palus enim exsiccata est. Denique addit, *& terræ pinguedo lutosam aptum posuere Lutetia nomen.* Etsi enim nunc

SEQVANA. lutosa est, ut olim fuit, non sequitur Lutetiam appellatam à luto, ut ex Iuliano intelligere potuimus: nam Græca vox candorem potius & albedinem significat. Ignoscendum tamen poëtæ si quid præter communem opinionem & vulgatas historias proferre ausus est, addit & alium versum.

Vrbs quoque Parisius meruit tunc primo vocari,
Qui prius indiderat situs esse Lutetia nomen,
Et sic terra fuit Francorum nomnine dicta
Francis, cuius erat antiquum Gallia nomen.

Idem autor, de Lutetia sic ait Philip. lib. 1.

Nulla quibus toto gens est acceptior orbe,
Militia, sensu, doctrina, Philosophia,
Artibus ingenuis, ornatu, veste, nitore.

Tempore quidem Iuliani, ut supra ostendimus, plures sublicij pontes Lutetiæ erant, qui ad insulam vtrinque ferebant, postea sub Clodouei liberis unico ponte vsos fuisse insulanos. Capite vndecimo lib.

quarti Capitulorum Caroli Magni de duodecim pontibus super Sequanam restaurandis agitur his verbis. *Volumus vt hi pagenses qui eos facere debent, à mißis nostris admoneantur vt eos celeriter restaurent, & vt eorum vanæ contentioni non consentiant, quando dicunt se non aliubi eosdem pontes facere debere, nisi vbi antiquitus fuerant: sed ibi vbi nunc necesse est, eosdem pontes facere iubeantur.* Et ex XII. capite dicti libri: *De omnibus pontibus per regnum nostrum faciendis in communi mißi nostri admoneant, vt ab ipsis restaurentur, qui eos facere solebant.* Nunc de pontibus qui nostris temporibus aut patrum memoria extitere dicendum est. Adrianus Turnebus vir nostra ætate eruditissimus duobus versibus rem indicat. SEQVANA.

Sequana qua piger sinuosis flexibus errans,
Amneque diuiduam coniungit pontibus vrbem.

Igitur pons qui iusulam & vrbem iungit, cum esset sublicius, ac ruinam minaretur, Ludouicus duodecimus Rex noster felicibus auspi-

SEQVANA. ciis præclarum ac lapideum fieri curavit, in quo sunt sex fornices præaltæ, admodumque largæ, præfectum operi adhibens Io. Iocundum Veronensem ordinis sancti Domininici monachum, cuius nomen atque opera in arcu latissimo eius pontis sunt incisa capitalibus literis, versusque Sannarij Neapolitani præstanti ingenio poëtæ in hunc modum.

Iocundus geminos fecit tibi Sequana pontes,
Iure tuum potes hunc dicere pontificem.

Duos verò pontes fecit, unum lapideum, alterum sublicium, qui nomen sancti Michaëlis sortitus est: illisque versibus ambiguo pontificis nomine acutè indicare voluit dignum esse pontificatu Parisiorum Iucundum tanti operis ducem, geminorumque pontium artificem, si fortè contingeret mors Episcopi qui tum Ecclesiæ præerat. Supra verò fornices eius pontis, qui latissimus est, vtrinque stant domus eiusdem altitudinis & latitudinis, fornicæque vnius, vt viatores qui flumen

non vident, nec sentiunt fluentis impetum, se in ponte esse non putent. Paruo interuallo totidem pontes sublicii, vnus super quem habitant aurifices aptis domibus in vtraque parte pontis exædificatis, quæ latitudine & altitudine si conferantur pares ferè sunt, aurificesque illi tanta fide, peritia, & arte auro, argentoque vtuntur, vt nulla sit provincia in Europa, Asia, Affrica, quæ eos non magnifaciat. Decreto Senatus Parisiensis lato anno Christi millesimo quingentesimo septuagesimo sexto statutum est ne imposterum venditoribus minutarum avium liceret in ponte sublicio vel aurificum vendere, sed locus is & alius commodior datus est, rallis miseriæ paulo infra eum pontem titulo tamen oneroso, vt quo die Rex & Regina solemniter & in pompa Lutetiam intrarent aucupes tenerentur munusculum illis parare quadringentarum avium, quibus libertas naturalis captivis simul concederetur, & reginæ ingressus differretur ob aliquam causam, totidem aviculæ præberentur. Subli-

SEQVANA.

SEQVANA. cius quoque pons alius ſuper Sequanam fuit infra illum quem aurifices incolunt : à molitoribus dictum lectores ſcient propter vndecim moletrinas publicas in vſum ciuium ibi conſtitutas, cuius curatores cùm periculum ruinæ & inopinati caſus perſpicientes monerent, vt familiarum magiſtri decederent loco, perſuaderi numquam potuerunt : benè monentibus enim non eſt creditum. Itaque die Dominica II. calendas Ianuarij anno milleſimo quingenteſimo nonageſimo ſexto, circa horam à meridie ſextam poſtridie Diui Thomæ pons imminente nocte non totus quidem concidit, ſed pars ea quæ magni horologij turrim pene attingebat, eaque cæterarum maxima prima periit, qua parte maiora nauigia ferendo ſali aduerſa Sequana tranſire ſolebant. Circa mediam noctem media pars pontis horrendis clamoribus miſerorum ciuium quibus ſuccurri non poterat, & ipſa in fluuium diſſolutis compagibus & retinaculis præceps ijt, & circa crepuſculum pars tertia corruit; merci-

SEQVANA.

monia & pecuniæ, ac ſupellex plurima mercatorum, quas in domibus habebant, cum incolis abſorpta merſaque ſunt, & operiiſſe conſtat centum incolas, ſeptem aut octo ad ſummum è naufragio reſtitutis nauiculariorum diligentia & vrinatorum. Moletrinæ autem illæ in occidentem ſolem verſæ erant, vt cætera pars pontis liberior eſſet, faciliorque ad tranſitum. Iſabella filia Antonij Ancoquij mercatoris ferreæ ſupellectilis telarumque, quinquennis tunc puella, labente parte pontis, quæ horologio vicina erat, in flumen decidit tam oportunè, vt trabis cui domi inſederat beneficio delata fuerit vſque ad portam novam, vbi piſcator audita puellæ voce querula ſtatim accurrit, illamque periculo eripiens, delatamque domum & calefactam benignè cœna excepit, ac parentibus reddidit, vt mater mihi narravit, filiamque dixit nupſiſſe paucis ante menſibus, & valere ſingulari Dei beneficio atque providentia. Funeſtum pontem concidiſſe demonſtrauimus. Alius eodem pene

SEQVANA. loco statim fieri cœpit, quem Rex propter cognomen Caroli artificis & præfecti tignarij, Mercatoris pontem appellari voluit. Vnde versus.

Le pont Marchand, ou le pont aux oiseaux.

Pons olim submersus aquis, nunc mole resurgo:
Mercator fecit, nomen & ipse dedit.

Cui Mercatori opus commissum data lege, vt latiorem & propinquiorem ponti artificum eum faceret, neue in eo vllæ moletrinæ struerentur, sed duo ordines tabernarum supra positis cubiculis duobus iustæ altitudinis, via inter tabernas larga pedes decem & octo, & commoda, transeuntibus relicta. Alterum caput huius pontis propè horologium Palatij, alterum propè Prætorium Parisiorum. *Domiciliorum* numerus quinquaginta vnius formæ vtrinque structorum non excedit. In quibus omni generi artificum & mercatorum habitare licebit. E regione autem Augustinianorum qui cis insulam habitant, pons alius è quadrato lapide ab Henrico tertio incœptus est, persuasione Ludouici Gonzagæ ducis

SEQVANA.

Nivernorum genere quidem Mantuani, qui filiam decessoris Cliuij in matrimonio habebat, eumque pontem & publicè vtilem & sibi familiæque suæ commodissimum propter Palatium suum ponti vicinum fore sentiebat. Post mortem autem Henrici tertij clementissimi naturâ Regis Henricus quartus successor eum ad initium insulæ perfici curauit, parsque illius pontis quinque fornices habet, indeque continuato opere ad vicum Divi Germani Autissiodorensis perduxit ab extrema insula. Itaque sunt in eo septem arcus, & in area ipsius quæ latissima est, & pauimento strata, via equitibus, vehiculis, carris relicta, duæ vtrinque semitæ altiores media destinatæ sunt peditibus solis, vt commodius pontem transeant. Nulla in eo ponte ædificia, vt in aliis constructa sunt, quod Rex noluit *Luparam* Regiam suam privari conspectu Palatij Parisiensis, in quo lites subditorum à Consiliariis suis disceptari ac dirimi solent.

Le Louvre.

Egressus autem Luteria fluuius,

SEQUANA. & Oceanum petens quantum ferat breuiter commemorare necesse est. Pleno alueo quasi mille quadringentos & eo amplius cados vino plenos vehere consueuit, sed multo pauciores antequam ad vrbem peruenerit, aut cùm averso flumine nitendum est sursum versus fontem perseuerat. Itaque per longos circuitus flexusque errat instar anguillæ aut lampetræ luxuriantium piscium, ut parua magnis conferantur, antequam *Possiacum* attingat decem millibus passuum à Lutetia distantem, nauigantibus autem viginti quatuor. In dextera vero ripa Monasterium *Paulianorum Patrum*, qui ita sunt appellati à Francisco, quem Paula Calabriæ oppidum tulit. Deinde in sinistra ripa visitur Castellum *Meudonis* in edito colle positum, & virenti sylua, vinetoque exornatum vsque ad radices, iuxta quas Sequana fluit. Postea *Nouigentum*, Diui Clodoaldi nomen ferens, vbi Sequana lapideum pontem habet. Quo in oppidulo & colle versus orientem solem & Lutetiæ aspectum Clodoaldus agna-

Poissy.

Les bons hõmes de S. Frãçois de Paule.

Meudon.

S. Clou.

tionis quondam Regiæ marmoreo tumulo ſepultus iacet, & cor Henrici tertij in æde ipſius Clodoaldi ſitum eſt, cùm in domo Hieronymi Gondij ſceleratè cultro percuſſus à Iacobo Clemente Dominicano è Sorbona vico Senonenſi extinctus eſſet, ſcilicet mediis in caſtris: obſeſſurus enim Lutetiam venerat. Multæ ſunt ibi ædes magnificæ & pulcherrimæ, aliquot fontes, vinumque generoſum ſuppetit, & aër ſalubris. *Surinæ* in radicibus *Valeriani Montis* vini excellentis feraciſſimæ. In vertice illius collis admodum edito loco ſiti & ſalubri, ſunt aliquot receſſus Eremitarum, qui ſe includi ob pietatem voluerunt. Ex alia autem ripa mons alius ſpectatur, priuſquam *Nijonum* ſedes Paulianorũ fratrum. In hoc paruo colle, quem alij à *Mercurio*, alij à *Marte* veriſimiliter dictum putant, cùm Gallica vox Latinæ reſpondeat, Dionyſius, Ruſticus & Eleutherius martyrium paſſi ſunt, ſeptimo Kal. Octobris, Domitiano Cæſare: ſic enim in eorum vita Græcè ſcripta & Venetiis

SEQVANA.

Surene.

Mont-Valerian.

Mont-Martre.

SEQVANA. pridem excusa legimus, conversaque in Latinum sermonem à nostrate Perionio, tametsi aliter ipse in Annalibus ad Traiani imperium agonem Dionysij referat. Postea nauigantibus occurrit *Audoeni* oppidulum, in quo Ioannis Regis Philippo Valesio prognati Regia olim fuit. Tum *beati Dionisij* monasterium atque oppidum in latissima longissimaque planicie & fluuio ipsi contigua situm cernitur. Dionysius autem beata manu sua è corpore à nefariis hominibus gladio præcisum caput sumpsit, & suspensum brachio amplexus est, atque in collis vertice duo millia passuum plena forti animo ingrediens portavit. Nouum profecto ac vetus & posterorum fama celebrandum miraculum, corpus esse sine animo & capite, quod viui instar pro more currat: hominemque iàm mortuum, qui ingrediatur firmis vestigiis à Monte-martyrum vsque ad Catullæ honestissimæ fœminæ agellum, vbi Dionysius & cæteri martyres sepulti sunt, & nomen aliud, id est Dionysij dedere. Quod oppi-

S. Oüyn

S. Denis.

dum aut Monasterium à Dagoberto Rege lapsu temporis constitutum, abest à Lutetia quinque passuum millibus, id est leucis duabus, & quod excurrit. Ex vita sancti quoque Eugenij elicimus hæc verba. *Cùm penè quatuor millibus ab vrbe Parisiaca loco nomine Duogilo propinquarent.* In dextera autem ripa, vbi *Nijonium* est *Madridij* castrum à Francisco primo Rege in memoriam captiuitatis suæ apud Madridum Hispaniæ constructum visitur. *Sylua Bolonienſis* & Templum Virginis quod Bolonienſe appellamus, & portus cui *Nulliaco* nomen, tum Audoeni, mox Diui Dionysij oppidum, de quo iàm diximus: à quo parum abest *Spinogilus villa*, de qua Aimoinus egregius historicus ait: *In Spinogilo villa super Sequanam flumen sita non procul à Parisiis.* Hæc autor ille capite 3. libri quarti. Et Appendix Gregorij capite 79. *Anno igitur decimo sexto Regni sui Dagobertus profluuio ventris in Spinogilo villa super Sequano fluuio nec procul à Parisiis ægrotare cœpit,* vbi mendosè *Sigonam* pro *Sequana*

SEQVANA.

Madril.

Le bois de Boloigne.

Le port de Neüilly.

Esperna.

SEQVANA. positum moneo. In eadem ripa collocatus est *Argentolij* vicus Monasterio Virginum olim ornatus, & Iesu Christi pueri veste cæteris nobilior. De Argentolio ad Hugonem Abbatem S. Dionysij libro primo Decretalium Epistolarum Innocentij tertij hæc verba sunt. *Argentolium situm est supra flumen Sequanam. Adeleidis vxor Hugonis Francorum Regis in territorio Parisiensi construxit Monasterium villa quæ dicitur Argentolius*, vti Helgaudus narrat in vita Roberti. A portu Nulliaco traiicitur Sequana, quo transito *Chaton um* itur pedestri itinere. Is est alter portus ipsius Sequanæ, vbi etiam traiiciendus. Vltra quem modico itinere confecto *Neptodorus*, & ab eo *Ruellium* alius quoque vicus distans mille passibus in ipsa ripa fluminis situs est, de quibus Gregorius Turonensis capite octauo libri decimi, ita loquitur. *Postquam autem Guntrannus Rex accessit Parisios, exinde ad Rothoialensem villam ipsius vrbis properans, euocato puero iussit baptisterium præparari in vico Nemptodoro.* Hunc

Argenteüil.

Nanterre.

Ruel.

etiam sic appellasse Constantium ciuem Lugdunensem in vita Germani Altissiodorensis manifestum esse cupio: & in vita Genovefæ virginis temporibus Childeberti Regis à doctissimo quodam viro, cuius nomen periisse doleo, scripta. Et in inscriptione sepulchri Caroli Calui in loco Monasterij beati Dionysij, dicitur eis donasse Ruellium vicum, quem Rothoialensem appellatum supra diximus. Iterum transeundus nauigio Sequana apud *portum Peccensem*, vbi est parrochiale Templum sancti Vandregisili, possessum à Bernardinis monachis, sedentibus in vrbe Lutetia. Itaque *Possiacum* abest ab vrbe sex leucis, vltimusque portus sub sancto Germano appellatur portus Peccensis, quo ex portu ascenditur quovsque terra peruenitur ad *S. Germani* Regiã nullius diœceseos, vt Monasterium Diui Dionysij: quod priuilegio Romanorum Pontificum eis concessum est. Denique transita *Lalia* sylua longitudine bis mille passuum attingitur Possiacum. In eadem etiam ripa siti sunt hi tres vici secundum

SEQVANA.

Le port du Pec.

Poissy.

S. Germain en Laye

SEQVANA. *Chartreville. Confluen. Andresy.*

flumen, *Chartreuilla*, *Confluentum*, & *Andresiacum*, antequam nauigando Possiacum peruenias: quem locum ab Iuone Carnotensi Episcopo, qui hoc nosse potuit, *Pixedunum* appellari etiam video in Archidiaconatu Carnotensi, vulgo de *Pisares* epistola 114. *Iuo Dei gratia Episcopus, Mellentinis & omnibus in Pixensi Archidiaconatu*, quem nunc Meduntam translatum comperimus, tertio ab hoc oppidulo milliari; in quo quidem Possiaci oppido Bosonis & Grimoaldi palatiorum ruinæ adhuc visuntur, aulicorum temporibus Caroli Calui, nec non Roberti Regis, & Constantiæ vxoris eius, atque diui Ludouici baptisterium, sicut ipse in literis ad amicos secretioribus appellabat. Philippi quoque Pulchri opus, id est nobile Monasterium Virginum Dominicani ordinis. Denique Pissiacum dicitur in vita Roberti Regis à scriptore ei cognito, & pons lapideus pro sublicio apud eum impositus est. In sinistra autem ripa est agger sive via publica, per quam ad Regiam Germani liberè

& ſecurè itur. Apud Andreſiacum vero & Confluentum *Aiſia* inclytus amnis in Sequanam labitur, quod Vibius Sequeſter libro de fluminibus ad Virgilianum filium apertè loquitur cùm ait: *Aiſia Galliæ in Sequanam influit*; ab ea *Pons ad Aiſiam* nominatus eſt, vnde oppidum *Pons Æſiæ* dicitur, ſeptem leucis à Lutetia diſtans, id eſt Gallicis non Aquitanicis, & matres familias eius oppidi hoc prouerbio & vtuntur & vſæ ſunt, *Nolumus filias noſtras collocare extra Æſiam*, id eſt extra fines otij pinguioris & commodorum. Gallicè autem ita loquuntur. Verum Æſiam Aimoinus & eo ineptiores ſcriptores *Iſaram* vocant. Iuo idem Carnotenſis Epiſtola ad Philippum primum Francorum Regem id ipſum oppidum *Ponteſiam* vocat, & Briua Æſiæ pons Æſiæ eſt, quo nomine in Gallia antiquitus vtebamur. Æſia profluit è tenui fonte qui viſitur in ſaltu prope *Hieſſonem*: dimidia enim tantùm leuca ab eo vico diſtat, atque admodum exiguus ad Hieſſonem fluit. Is vicus ſupra *Veruinum*

SEQVANA.

Hieſſon.

Veruin.

SEQVANA. non ignobile oppidum, vbi pax nuper nobis Flandriæque vtilis facta est, fere quinque aut sex leucis situs est in *Thierachia* quam vocant, diœceseos Laudunensis. In quem alius riuulus exiguus Aroesia influit. Inde *Crescacium* aquis penè obrutum super Serram eiusdem diœcesis, mox *Faram* Picardiæ paludibus inuiam. Est & *Fara Tardonensium* propius Lutetiam, apud Flodoardum Canonicum Remensem ac scriptorem iàm vetustum, qui de vtraque loquitur. Postea prope *Calnicum* vrbem (vix enim ab eo distat mille passibus) & deductus ex ea riuus prope muros fluit. *Carolus Martellus regressus in regionem Francorum ægrotare cœpit in villa Verberia supra fluuium Isaram.* Aimoinus cap. 57. lib. 4. & in eodem capite. *Veniens Carolus Carisiacum villam* (quæ *Cresciacum* nunc dicitur contracta Carisiaci voce) *super Isaram fluuium valida febre correptus obiit anno Verbi Incarnati septingentesimo quadragesimo primo.* Quo in loco traiicere flumen oportet, & nauigium ipsum Germanica voce

Tierrache.

Arroüaise r.

La Fere en Picardie.

La Fere en Tartenois.

Chaulny.

Verberie.

Crecy.

SEQVANA.

Bach dicitur, quo vehimur à ripa in aliam. In quibus verbis expunximus vocem *Vermeriam*, quia Verberia ad Æsiam est. Vermeriam autem inepti scriptores aut Typographi posuerunt. Idem auctor cap. 88. lib. 3. *Inter Sequanam & Isaram*, eodemque capite Isaram iterum nominat. Et in eodem errore Fortunatus fuit. Cùm enim de Isara loqueretur lib. 7. Carminum ad Gogonem ait:

Isara, Sara, Chares, Scaldis, Saba, Summena, Sura.

Quin Reges nostri post Aimoinum malè scientem pro Aisia Isaram dixerunt. Philippus Valesius in publico instrumento confirmationis priuilegiorum Academiæ Aurelianensis, scribit illa priuilegia data apud Pontisaram. Et ferè scriptores omnes in communi errore decepti sunt, ac pro Isara Allobrogum qui in Rhodanum influit, de quo idem Sequester sic ait: *Isara Galliæ decurrit in Rhodanum*, Aisiam Galliæ Isaram quoque appellarunt. Paulus Æmilius Isaram simpliciter vocat. De Confluento

SEQVANA. M. S. Beccensis Monasterij sic habet : *Anno millesimo octuagesimo, Iuo Comes de Bellomonte super Isaram, & Adelidis vxor eius, volentes beatæ Honorinæ de Confluento à Monachis Deo deseruiri, dederunt eam & omnia ad illam pertinentia Beccensi Monasterio ; sub libera potestate & ordinatione Abbatum præfati Cœnobij.* Super Aisia sita est *Abbatis villa*, caput Pontiuij sic dicti à numero pontium, quibus opus est ad traiiciendas paludes stagnaque varia, quæ se effundunt in Oceanum prope *Galarici* Monasterium atque oppidum, nunc Valerij, corrupto quidem verbo, sed dulciori effecto. Constant, *Pequiniacum, Dulendium, Cressiacum, sancti Spiritus oppidum*, ad riuulum parum abesse ab Abbatis Villa. AMBIANI verò aquis *Somonæ* clari amnis abluuntur, fossasque altiores habent quàm ceteræ vrbes Picardiæ.

Confluens.

Abbeville.

Saint Vallery.

AMIENS. *La Some*, 1.

NOYON Nouiodunum oppidum Suessionum Cæsar libro 2. de bello Gallico esse ait : *In fines* (inquit) *Suessionum qui proximi Remis erant, exercitum ducit ; & magno itinere con-*

fecto ad oppidum Noviodunum contendit. Et alio loco: *Galba Noviodunum dat Cæsari cum obsidibus:* quod oppidum hodie Nouiomus dicitur, prope id Axona fluens apud villam Episcopi, in dextera ripa lapideum pontem habet. Axona verò in Aisiam labitur in modica insula quam accolæ vocant *Buccam Aisiæ*, qui auctus Axonæ aquis, rectà Compendium petit. Oritur autem Axona in Remorum vltimis finibus testimonio Iulij Cæsaris, perque fossas *Sanctæ Menechildis* Regij prætorij fluit, à qua vrbe duabus leucis abest *Mosomus* Archiepiscopij Remensis, & totidem vltra eam, Lotharingia est posita. Notare tamen oportet facultatem concessam ab Innocentio tertio erigendi Episcopatus Mosomi. Inde *Attiniacum* fertur locum Capitularium Caroli Magni, Ludouici, & Caroli Calui, quos Epistolæ Lupi in agro Senonum Abbatis apud Ferrarias Monasterium ordinis Benedictini magnopere laudant. De Axona autem Cæsar libro secundo Commentariorum de bello Gallico,

SEQVANA. *Aynesi.*

Pont l'Euesque.

Sainte Menehould.

Attigny.

SEQVANA. *Flumen Axonam*, inquit, *exercitum traducere maturabat.* Et infra: *In eo flumine pons erat, in quo præsidium ponit. Tum hostes ex eo loco ad flumen Axonam contenderunt. Denique hostes impediti nostros in flumine aggressi magnum eorum numerum occiderunt.* Ausonius sub Gratiano Cæsare Consul dictus Axonam præcipitem esse ait ob cursum aquæ expeditum & celerem. Fortunatus Italus poëta, sed Episcopus Pictauiensis, ad Gogonem libro septimo.

An tenet herbosis qua frangitur Axona ripis,
Cuius aluntur aquis, pascua, prata, seges.

Armoricus Philippidos lib. 9.

Axona qui faciunt nomen vulgare moderni,
Qui tibi cùm tollit natiuum Vidula nomen,
Ipse suum perdit Isara maiore receptus.

Idem scriptor de Suessione & Axona.

Lene fluit piscosus aquis.

Ex vita Crispini & Crispiniani, *Rictiouarus præses iussit suspensis ad*

colla

colla molaribus sub glacie in flumen Axonam demergi. SEQVANA

Idem fluuius decurrens per agrum Reteliorum *Regiteste* ipsum oppidum alluit, deinde *Castium Portiani*, postremò *Veiiam* properans præclaram Suessionum vrbem alluit, & vallem Suessionicam vno versu Armoricus ita laudat Philippid. lib. 10. *Valle Suessonica quàm fortia corpora surgunt.* *Retelois* *Retel.* *Chasteau de Portian*

Tandem apud Compendium in Aisiam labitur. Capiuntur in eo lucij, perticæ & lampredæ, carpiones sæpè ita crassi vt in foro Remensi veluti monstruosi vendi soleant. Compendium verò Gregorij ætate villa erat, nunc Regia est, ac fortè Ludouici & Caroli Calui temporibus. *Compendium*, inquit, *villam vna cum Rege secessit.* lib. 6. cap. 35. Ipse (Ludouicus Pius) *intra Compendium & Carisiacum cæteraque his vicina palatia vsque ad hiberni temporis initium conversatus est*, capite 115. lib. quarti. *Indeque per Monasterium sancti Quintini ad Siluacum, & inde per Carisiacum*, nunc corruptè Cresciacum, *veniens autumnalem venationem in Co* *Cuis.*

SEQVANA. *tiæ saltu exercuit*, capite 25. lib. 5. Ad fluuios qui Axonam influunt nunc venio. Sed antequam id faciam prȩmoneo lectorem Summam veteri lingua Campanienſi ſiue Belgicæ ſecundæ ſignificare fontem vnde fluit, vt Summa Vela ſeu Vidula, Summa *Bionæ*, Summa *Turbæ*, qui in Axonam fluunt. *Bionna* autem per Ancium caſtrum fluens infra Viennam Axonæ permiſcetur. *Turba* è fonte ortus Gavillam fluit, atque labitur in eundem ſupra *Capellam* vicum Salictum, è Villari ſicco profluens Axonam ingreditur ſupra *Chenium* vicum. *Vallia* quoque oritur ſupra Monaſterium Signenſe, *Caſtrum Portiani* irrigat, Axonam influens. Similiter *Ardilio* vel Adreſſia apud Soram ortus Trialeuiium decurrens, defluit in eam. Porrò etſi modici ſunt riui iſti, tamen prætereire eos non oportuit. Denique Axona amnis & latiſſimus eſt, & aquarum copia tumens. Cœpimus de Vela ſeu Vidula dicere. Id nunc præſtandum. Vidula ſeu Vela oritur è fonte ſito ſupra vicum Summæ Velæ, qui abeſt à *Spina* celebri vi-

Somme Velle, r.

Bione r.

Tourbe, r.

Ancy.

Vallie.

Ardilie, r.

Vele, r.

Noſtre Dame de l'Eſpine.

co, temploque Virginis Mariæ leuca & dimidia tantum, sed à Catalauno vrbe præclara ad Matronam flumen distat tribus leucis & dimidia. Spina autem duabus abest à Catalauno. Infra id municipium satis amplum situque mediocriter alto fluit Vela amnis, qui Castellum Sillerij alluit, postea *Remos* rectà petit oppidumque eorum notissimum, cui DVRECORTORIO nomen, prope quam vrbem fluit. De campis Catalaunicis Paulus Diaconus cùm describit pugnam Catalaunicam, contra Atilam fortissimum Hunnorum Regem, contra quem pro republica Romana, vt supra diximus, Ætius & Visigothi stetere, sic loquitur: *Eo siquidem prælio in campis Catalaunicis 800000. millia hominum cæsa referuntur, tantumque est sanguinis effusum, vt paruulus qui ibidem labebatur riuulus, immodicus subito torrens effectus cadauera secum traheret peremptorum.* Hæc Paulus Diaconus in historia Longobardorum. Qui per riuulum occisorum sanguine imbutum non potuit nisi de Vidula loqui? præsertim

SEQVANA.

REIMS.

SEQVANA. cum constans hodie quoque fama sit iuxta eum fluuium pugnatum esse, victumque Attilam in campis Catalaunicis. Flodoardus in vitis Remensium Pontificum de Ebbone Archiepiscopo loquens, Epitaphium matris eius ab eo scriptum inserit.

Mea forte si requiris temporis initia,
Scito Caroli fuisse Regni sub primordia.
Ludouico triumphante dies fluxit vltima.
Renus primos lauit mores alueus Germanicus:
Hinc nutriuit & secundos Liger amdis Gallicus,
Sequana fouit iuuentam, sordes sordens Vidula,
Præsul erat vrbis huius mihi natus vnicus,
Idem me conduxit sibi sociam laboribus,
Proximum ruinæ locum renouando cupidus,
Decem fermè nuper annos simul hic peregrinus,
Ebbo Rector, ego mater Hilmitrudis humilis,

Fundamenta sedis sanctæ pariter ere- SEQVA-
ximus. NA.
Deo debitum laborem dum gerebat
Pontifex,
Fessa quietem quærebam: Ecce sub hoc
tumulo
Quinto me September mensis Calen-
darum rapuit.
O Viator, esto cautus semper ab ex-
cessibus,
Fateor non præfuisse vt debui, dum
potui:
Veniam dic pro vindicta, da (Deus)
petentibus.

Quo in epitaphio Ebbo Archiepiscopus Remensis matris suæ Hilmitrudis laudes prosequitur, simul trium fluuiorum Galliæ meminit, Ligeris, Sequanæ, & Vidulæ.

A Remorum vrbe *Fimas* vsque primum oppidum, portumque Vidulæ sex leucæ terrestri itinere computantur. Fimas autem martyrium sanctæ Macræ Hincmarus esse ait epistola ad Episcopos Franciæ, etsi Ecclesia Fimarum Diuo Martino dicata est. De eadem Macra Vsuardus in Martyrologio. *In territorio*, inquit, *Remensi passio sanctæ Macræ.* Fimas.

SEQVANA. *quæ iubente Rictiouaro præside cum in ignem esset præcipitata, & permansisset illæsa; deinde mammillis abscissis, & squalore carceri afflicta, superte-stas etiam acutissimas ac prunas volutata: orans transiuit ad Dominum.*

Nore, r. Verùm lapsus Vidula paulo longiùs, Norum exiguus riuulus voluntariam ei deditionem facit. Ab eodem Fimarum oppido vsque ad portum *Theobaldi* occurrit alius fluuiolus decurrens è monte Virginis. Cæterum post Theobaldi portum

Brenne. S. Iuet. *Brannacum* oculis subjicitur *Euodij* templo insigne & memoria Agnetis nobilissimæ fœminæ, quæ nupsit Roberto, Ludouici Crassi Regis filio, qui primus Druidensium Principum familiam constituit, moneoque curiosos Brannaci mentionem fieri à Gregorio Turonensi in historia Regum nostrorum vbi de Chilperico Rege agitur, indeque vsque ad ostium Vidulæ in Axonam quod est è regione vici nomine *Condei* nihil superest. Denique à Remorum vrbe vsque ad Vidulæ & Axonæ mixtionem, leucæ computantur viginti quinque & amplius, ne di-

cam triginta, si eas fluminis lapsu conficias. De Remis autem Cęsar libro 2. *Qui proximi Galliæ ex Belgis sunt Suessiones fratres consanguineosque Remorum, & Suessiones Bellouacorum esse finitimos, feracissimosque agros possidere.* Vrbs autem *Medunta* tertio à Passiaco seu Pixeduno milliari collocata est, & pontem habet, & regiorum infantium propter aëris salubritatem educatione gloriari solebat. De qua Guillielmus Armoricus poëta temporibus Philipp. Aug. Regis Franciæ & Ludouici 8. Philipp. l. 3. ita cecinit.

-- Medunta, Trecas, Barumque reuisit.

item libro XI.

-- Vada sub piscosa Meduntæ.

In aduersa vero ripa *Mellentini* siti sunt, & ita appellantur à Mellento insula atque oppido. Ab eodem Iuone epist. 115. multo melius quàm *Mulancum* à Paulo Æmilio Veronensi historico Francorum Lutetiæ in templo Virginis sepulto. Verisimile enim non est locum appellationis in diœcesi sua ab Iuone Episcopo nescitum. *Epta* autem amnis est, cujus fontem serenum Armori-

SEQVANA.

Mante.

Menlä.

Epte, r.

SEQVANA. cus appellat, vnde inquit lib. 4. Philippidos.

Vnde oriens ortis fluit vtilis Epta, satisque,
Donèc Sequanio procul hinc se perdit in amne.

De quo etiam duobus locis Sugerius loquitur in vita Crassi nostri regis, eorum primus est, *Grata piscium fœcunditate Epta fluvius propè Gisortium fluit.* Alter, *Interfluit Gisortium fluuius grata piscium fœcunditate, qui diciur Epta*, qui quidem oritur è fonte cognomine, duabus leucis aut circiter à Gornaio distans. Pars eius Gornaium interluit, pars muros eius circuit. Gisortium quoque partim intersecat, partim ambit versus *sanctum Clarum* fluens, nomenque amittit. Apud *Guidonis Rupem* Sequanæ permiscetur, ab ostio eius in fontem quatuordecim leucis distans, à Gisortio verò septem. Tructas nutrit, lucios, cancros, goiones, anguillas prope innumeras. Et quidem *Gisortium* oppidani putant dictum quasi regis otium. Municipium enim est elegans ac benè situm, ac prouerbio

Gisors. Gornay S. Clair Roche-Guyor.

dici solet tàm ab ipsis quàm à vicinis populis videri eam vrbem Doarium Virginis Mariæ. Donatio enim propter nuptias à sponso facta Doarium est, quæ neque vendi, neque liberis ex quaque causa eripi potest, ideoque charissima est. De Gisortio autem notus est versus Armorici. SEQVANA.

Gisorti mœnia frangit.

Aliam quoque interpretationem afferunt, ac Gisortium dictum putant quasi diuortium Regum Angliæ & Franciæ. Sugerius historicus de Gorneio insula hæc pauca tradit. *Habet Castello insula grata amœnitate pabulorum, equis & pecoribus opima, quæ se aliquantisper latam, sed plus longam producens maximam oppidanis confert vtilitatem, cùm & spatiantibus decurrentium aquarum clarificam & exhilarationem, & modò florentium, modò crescentium graminum obtutibus & formis exhilaratam offerat clarificationem; huius etiam circunclusione existentibus securitatem.* Est aliud Gornacum Castrum super fluuium Matronæ situm; vnde *Hugo de Pomponia miles strenuus mercato-* Gornay sur Marne

SEQVANA. *rum equos in via Regia insperato rapuit, & Gornacum adduxit.* Hic itaque locus ad Normaniam pertinet.

Vernon. Postodum Sequana *Vernonem* oppidum alluit, quod egregium pontem lapideumque habet, & Guillielmus Neubrigensis Anglorum historicus nomen oppidi etiam complectitur. *Gaillon* *Gallionem* etiam Archiepiscopi Rothomagensis secessum ad animi oblectationem ab eadem ripa parum abesse moneo, qua Verno, qua Medunta, qua Pissiacum situm reperies. De quo Gallione Armoricus lib. 5. Philippidos ait:

Gallionis cingere muros.

Ac ferè distat Gallio à ripa Sequanæ duobus passuum millibus. A Gallione autem ad S. Audoëni parrochiam, quæ Archiepiscopi Rothomagensis olim fuit: inde ad *Pont de l'Arche* *Arcuarii pontis* oppidum veniendum est. De eo Armoricus Philipp. lib. 7. ait: *Pontem qui dicitur Arcsæ diruit.*

Quo transito, Sequana non multo post quinque leucarum flexum facit, vsque ad sancti Audoëni op-

pidulum, ſed ſi breuiorem nauigationem facere velis, opus eſt vt terra progreſſus aut equo, curru, aut bobus vnam tantum leucam conficias donec aquam Sequanæ iterum reperias, & nauiculis ibi ſtatim habitis vt viatores celeriter excepti Rothomagum clariſſimam vrbem vehantur. Sed antequam de ea dicamus, Auduram flumen deſcribere lubet, quod in Sequanam labitur ad pontem Arcuatum, fornices enim pontium arcus appellari mos eſt. E Pertica regione Carnuto vicina labitur. De qua libro tertio Philippidos Armoricus meminit cùm ait:

SEQVANA.

Le Perche.

Pertica Rotroldo gaudet nemoroſa recepto.

In Carnutum agros moderato curſu fertur. De eo agitur in veteri martyrologio ad 12. Kal. Novembris his omnino verbis.

Carnotis, Iotro monaſterio natalis S. Priſci martyris ſuper fluuium Auduræ. Et in vita Leofredi Abbatis S. Crucis Eburonicum, fluuij Auduræ bis fit mentio. Vita autem illa ſcientiſſimè olim perſcripta eſt. *Cur-*

Couuille.

SEQVANA. *nam villam* municipium Carnutum alluit, de quo Iuo Carnotensis epistola 268. *Ecclesia*, inquit, *S. Nicolai sita est in municipio quod Curuanilla dicitur.* Et epistola 267. *Hæc Ecclesia in municipio quod Curuanilla dicitur sita à fundatore suo in honore sancti Nicolai, Canonico ædium fuit deputata.* Inde labitur ad vrbem Carnutum inferioremque eius partem, orientalem scilicet alluit. Fortunatus in vita sancti Martini lib. 3. de hac vrbe loquitur his verbis.

Carnotus hinc etiam dum præterenda veniret
Ethnica per campos passim obuia turba fluebat.

Cuius vrbis descriptionem non præterit Armoricus Philippidos libro secundo.

Vrbs quoque Carnutum, quam ciuis tàm numerosus,
Tamque potens Clerus, & tàm prediues opimant,
Ecclesiæque decus, cui scemate, mole, decore,
Iudicio par nulla meo reperitur in orbe.
Quam, quasi postpositis specialiter omnibus, vnam

Virgo beata docet Christi se mater amare SEQVANA.
Innumerabilibus signis, gratoque fauore,
Carnuti dominam se dignans sæpè vocare:
Cuius & interulam cuncti venerantur ibidem,
Qua vestita fuit cùm partum protulit agnum.

Tum *Nouigentum* alluit Regium dictum à Philippo Valesio, qui ibi decessit, & eius nominis Rex sextus fuit. Postmodum excipit *Vegriam* è Monfortia sylua profluentem, venientemque *Hudeneum* municipium in via qua *Drocas* itur. E Drocis *Blesia* amnis in Anduram labitur, nec non *Hadra* qui è *Nonanticuria* & longius fluens *Stratam* monasterium, deinde *Motellas* vicum alluit, antequam ad Æduram periturus perueniat. De Hadra autem vulgo dici solet ille versus.

Nogent le Roy.
Vegre, r
Houdã.
Dreux.
Blaise, r
Hadre, r.
Nonencour.
L'Estree

Hadra licet parua Francorum diuidit arua.

Quod olim Francos à Normanorum finibus distingueret. In prouincia vero Normannia Audura fontem

SEQVANA. habet inter *Aquilam* & *Vernolium*, cuius muros alluens incipit Normanniam à Francia distinguere. A Vernolio *Filiceras* Anglicis bellis notas petit, mox Nonanticuriam Normannici quidem iuris, nisi quod suburbana ædificia sunt Francici Imperii. Postea *Anetum* pulcherrimam stationem & amœnissimam villam præterfluit. Deinde Iberium nobilem vicum quem *Ibram*, & Ibream Armoricus appellat quarto Philippidos.

L'Aigle
Verneüil.
Filiers.
Anet.
Xury.

Sibi jàm subiecit Ibream.

Et alibi.

Ad Ibram signa reflectat.

Pacy. Exin *Paciacum* in diuersa ripa situm alluit. De quo idem Armoricus Philippidos 3. de Ricardo Anglorum rege loquens.

Paciaci sibi tuta magis fore mœnia credens.

Et de Philippo rege lib. 4.

Iàm sibi Paciacum, sibi jàm subiecit Ibream.

A Paciaco autem continuato cursu propè *Eburonicum* vrbem Episcopatu insignem, deinde Lucum veris præterfluit: postea Gallionem, de-

EVREVX.

nique cis pontem Sequanæ, quem arcus seu fornices vocant, vbi penè peruentum est, ipsi fluuio permiscetur, & piscem quidem optimum gestuq; suauissimum, & varij generis hic amnis ferre solet. Id enim scire possum, cùm in ripa eius apud *Brolium* ordinis Clareuallensis monasterium quinque aut sex continuos menses habitarim, ciuilia bella fugiens. Duo riuuli, vnus è stagno *Bertuliensi* fluens, alter è Vernolio Perticensis regionis oppido, in vnum confluentes *Itenem* amnem faciunt, quod apud *Condetum* amœnam stationem Episcopi Eburonicum lapideo ponte iungitur, perspicuasque vndas gerit, arenamque mortalium oculis gratissimam. Inde Eburonicum primariam vrbem petens, in medio itinere repente terra absorptus periisse videtur: amplius enim quàm terna passuum millia latet quasi numquam rediturus. Verùm magna spectantium admiratione duabus leucis ab illa vrbe erumpit, quasi iterum velit videri: quod naturæ miraculum ingens esse puto. Idque accidit prope Abba-

SEQVANA.

Iton, I.

SEQVANA. tiam Sanctæ Crucis Diui Leufredi in vico *Cailliaco*, quo nomine Rothomagenses abuti solent cùm herbam Cresconiam abundè illo loco renascentem publicè & in foro distrahentes Cailliacum non semel, sed ter aut quater ingeminant. Innocentius tertius epistolarum Decretalium lib. 1. ad Abbatem Sanctæ Crucis, & sancti Leufredi loquitur de Ecclesia Diui Remigij in villa Cailliaco. Deinde Iton ad suburbana ædificia vrbis Eburonicum prope Diui Taurini monasterium, ipsamque vrbem fluit antequam in Auduram se effundat. Lucios percasque nobiles hic amnis profert, & albos pisces alit. ROTHOMAGI præclarum pontem Sequanæ impositum inuenies, de qua vrbe epistola ad Victricium Episcopum Paulinus agit in hunc modum; *Nunc Rothomagum & vicinis ante regionibus tenui nomine peruulgatum in longinquis etiam prouinciis nominari venerabiliter audimus, & inter vrbes sacratis locis nobiles cum diuina laude numerari: haud immeritò: cùm totam illic qualis in Oriente memoratur Hierur*

La Seino.

ROÜEN

salem, faciem Apostolorum quoque præsentia meritum tuæ sanctitatis adduxerit: qui peregrinam memoriis suis vrbem affectu sanctorum spirituum, & affectu operum diuinorum sedibus suis comparant, qui in teipsum aptißimum sibi diuersorium repererunt. Fortunatus multo post, Rothomagum versibus suis inseruit: quam & Vitichindus lapsu temporum Danorum vrbem vocat, quod eam Normanni, id est Septentrionales populi inhabitent. Inter opera verò illius vrbis publica & admiranda pons ille spectari merito suo debet ingeniose ab artifice exædificatus, fœlicisque eius in eo perspicue habetur ratio difficultatis, quæ inerat propter recurrentem fluxum & refluxum maris, qui singulis diebus bis accidit. Idcirco enim è quadrato lapide structus est pilastris stupenda crassitudine, & fornicibus præaltis. SEQVANA.

De fluxu autem eo & refluxu Oceani Armoricus poëta Philippid. 6.

Substitit in portu, refluo quem Sequana fluctu,

SEQVANA. *Vno quoque die bis certis influit horis,*
Et breue post spatium refluit; siccumque relinquit,
Tamque repentinos operatur causa meatus,
Soli nota Deo, nec eam comprehendere sensu
Humano potuit, poteritve in secula quisquam.
Causa latet, sed res ita est.

De fluxu & refluxu generaliter, deque duobus æquinoxiis ab eodem scriptore consequenter agitur, ita vt scientiam eius lector admirari cogatur. Et Fortunati versus se offerunt:

Peruenit qua se piscoso Sequana fluxu
In mare fert iuncto Rothomagense sinu.

In ea vrbe ad Orientem eius visuntur riuuli duo, qui illam introrsus irrigant, vni *Robetio*, alteri *Aubeta* nomen, inque Sequanam labuntur. Quæ ad Oceanum fluere perseuerans Caldebecum municipium alluit gentis Caletorum, mox inter *Areflactum* in eadem ripa & *Hunflactum* attingens Oceanum subit. De Caleto autem pago ad annũ

Caudebec. *Caux.* *Harfleur.* *Honfleur.*

millesimum centesimum sexagesimum tertium Sigebertus tradit quod sequitur. *Iulia bona in Caletensi pago iuxta Sequanam est* sedes Regia à Dominis Normannorum multùm amata, & frequentata. Hanc Iulius Cæsar, ex cuius nomine Iulia vocatur, condidit. Destructo verò Caleto ex eius veteri vocabulo tota regio sita inter Sequanam & mare adhuc vocatur. Quod verò dicat Gobelinus bonus auctor scire operæpretium est in commentariis Pij secundi libro sexto. *Normannia*, inquit, *prouincia est Galliæ ad Oceanum pertingens, hinc Morinis quos nostra ætas Picardos appellat, inde Venetis iuncta, quos Britones vocant.* In eo quod de Normannia dicit nihil improbo, sed Picardos appellari Morinos, & Britones Venetos nescio quàm verum sit, vsque adeo periculosum est homini externo de ignotis regionibus scribere. Alter autor est Ioannes Theutonicus in Glossa, cap. Moses ait. *Normanni egregiè potant, ne animæ eorum maneant in sicco.* Quam eius vocem ridiculam puto; sobrietate enim

SEQVANA.

L'Isle bonne.

SEQVANA.

Normanni Theuthonas superant. Ammiani quoque Marcellini ex libro decimo quinto locus hic annotandus est. *A Belgis eandem gentem Matrona discindit & Sequana, amnes magnitudinis geminæ, qui fluentes per Lugdunensem secundam, post circumclausum ambitu insulari Parisiorum Castellum Lutetiæ nomine, consociatim meant, meantesque protinus in mare prope Castra Constantia funduntur.* Non quidem admodum propè, ô Marcelline, si verum amamus. Lexouij enim Aulerci & Baiocassini obstant atque impediunt ne prope Castra Constantia fundi Sequanam in Oceanum putemus. Totam autem Normanniam à veteribus nominari secundam Lugdunensem libro de notitia Episcopatuum Galliæ jàm ostendimus. Sunt ergo in Lugdunensi secunda septem Episcopatus cum territorio quisque suo, Rothomagensis, Ebroicensis, Lexouius, Sesuuiensis, Baiocassinus, Abrincatus, & Constantia. Quæ territoria ab vno Rothomagensi amplissimo Senatu summum ius accipiunt. Primùm igitur amnes

singulorum Episcopatuum prosequamur. *Andelia* quidem diœceseos Rothomagensis in Sequanam labitur, vtilissimus vrbi Lutetiæ Parisiorum. Ligna enim non colligata in eum iaciuntur, quæ sensim ad ostium eius perueniunt, vbi in parata nauigia collocantur vt aduerso flumine Sequana in portum Parisiensem perueniant; vtque celerius id fiat, adhibentur singulis nauigiis equi aliquot præituri. De Andelio Armoricus lib. 6.

SEQVANA.

Andele, r

Obsidet Andelij, quod dicitur insula Castrum.

Et diffusius libro septimo de Andelio quoque agitur. Andelius verò amnis oritur prope *Catillionem* castrum sub *Feritate Brayca*, ac decurrit retro *Orgueillium* vicum: deinde secundum colles *Nollæ vallis*, & Caroli noni regis, vbi venationis labores pati erat solitus, secessum procul ab oculis mortalium. Tum *Floriacum* in via qua Rothomagum itur. *Pontem S. Petri* præcipuam sedem Roncelliorum nobilissimæ gentis, postremo Andelius nomen amittit apud Abbatiam duorum

Charleval.

SEQVANA. Amantium iuxta pontem quem *Arcuatum*, vt dixi, vocant, in Sequanam influens. *Sesuuij* verò ab Atenconio vrbe quinque leucis distant, estque ditissimus locus totius Episcopatus. Oritur autem prope Se-
Olne, r. suuios *Olena* amnis Ptolomeo memoratus, Sesuuiorumque vrbem interluit. *Argentam* vrbem quinque leucis remotam petens, quæ in edito quidem loco sita decliuis tamen est, qua parte in Olenam descendi-
Caën. tur, qui continuato cursu *Cadomum* præclaram vrbem Baiocassinæ diœceseos interluit, ponteque iungitur è tribus fornicibus composito. De qua Armoricus Philippidos libro octauo.

Villa potens, opulenta, situ spatiosa, decora
Fluminibus, pratis, & agrorum fertilitate,
Merciferasque rates portu capiente marino,
Seque tot Ecclesiis, domibus, & ciuibus ornans,
Vt se Parisio vix annuat esse minorem.

Qui verò situm Cadomi benè

excusserit, illam iudicabit & pulchram & amœnam ob Olenam flumen, qui bis quolibet die ob fluxum & refluxum Oceani inflatur. In quam vrbem fluuius quoque alius nomine *Vdo* fluit, atque in Olenam labitur. Postremo tribus leucis ab vrbe in portu *Doystrehano* in Oceanum effunditur. Notandumque est nauigia magna ab Oceano Cadomum magno ipsius commodo quæstuque civium impelli, ob fluxum refluxumque maris. Prope Cadomum in loco cui *Semellæ* nomen anno millesimo sexcentesimo quinto Balena ingens in litore Oceani destituta aquis refluxus qui tunc longè maximus fuit, capta atque oppressa est. Abeunte verò mari plebs sulmones, alausas, & lampredas quotidie quam plurimas capit aut occidit. Sulla amnis è meridie profluens, & Tillij castri muros lauans, duos lapideos pontes habet: quorum vnus Vetus appellatur, alter verò *Redeueris*, Archidiaconatumque Cadomensem intersecat, prope cuius ostium dum mare intrat supereminet Templum parrochiale

SEQVANA.

Oudon, r.

Estrehan.

Vieux-pont.

Reuiers.

SEQVANA *Courseulle.* & via publica intermedia, & Castellum quod vulgo *Cursus Sullæ* dicitur, quia ibi Cursus Sullæ desinit. Vrbs verò Baiocassium ab Oceano leuca & dimidia distans, Episcopatu illustris, Templumque Virgini sacrum, structura tectisque magnificum habet, cui adiacet cœmiterium parrochiale sancti Saluatoris ad meridiem, vbi leguntur versus in muro turris maioris olim sculpti, qui sic habent:

Quarta dies Paschæ erat dum Clerus ad huius
Quæ iacet hîc vetulæ venimus exequias
Lætitiæ diem magis quem amisisse dolemus,
Quàm centum tales si caderent vetulæ.

Eam vrbem alluit ad orientem amnis, qui vulgo *Aura* dicitur: sed in Chartulario Ecclesiæ *Aurea*; fluitque per parrochiam, quæ *Vallis super Auram* dicitur. Alius autem amnis *Droma* decurrit per parrochiam quæ *Vauselles* nuncupatur, leuca vna ab vrbe, valde quidem periculosus: vnde hoc vulgare

Aure, r.

Vaux sur Aure.

Drome,

gare circumfertur, SEQVANA.

La Riviere de Drome
Ha tous les ans cheval ou homme.

Id est aut equum aut hominem Droma quotannis absorbet.

Hi ambo confluunt prope locum qui *Mansiones* appellatur, & ad radices *Montis Chalni* versus *Fossam Solstitii* sensim decurrunt super sabulo, arenaque firma & unita, ubi è mortalium oculis subducuntur, non sine admiratione eorum qui id fieri vident. Inde sub terra latentes apparere incipiunt dimidia leuca super littus maris, ad locum qui *Portus Baiocassium* dicitur.

Maisõs.
La Fosse du Soucy.

Vironus seu Viria, Regia sedes Prætorii Cadomensis, eodem nomine quo urbs fluvium habet, qui in mare labitur apud *Vadum sancti Clementis*, & non procul decurrit è regione Constantina *Doua* amnis, cujus origo est apud siluam & Castellum vulgo *Briquebec* appellatum. Inde alluit castrum sancti Salvatoris cognomento Vicecomitis, vbi lapideo ponte transitur, postea acceptis aliquot flu-

Le Vé S. Clement, autrement le grand Vé.
la Doue, r.

SEQVANA. violis fluit prope *Carantum* oppidum, ubi lapideum pontem habet: poſtea verſus Vada ſancti Clementis properat, & tandem effunditur in mare, cujus fluxus refluxuſque quotidie viſitur. In Epiſcopatu verò Abrincantuorum duo fluvii ſunt, & *Ocrium* promontorium Michaëlis nomen ferens, de quibus hæc dicenda ſunt. Primus vocatur *Arduus*, de quo Glaber hiſtoricus Cluniacenſis cap 3. lib. 3. *Eſt*, inquit, *non longè à promontorio S. Michaëlis in Oceano fluviolus cognomento Arduus*. Secundus *Senuna*, quod didici à Poſtello Barantonio doctiſſimo viro genere Normannio, Oceano proximus, & navigabilis fluvius, qui circa *Ocreum* promontorium in mare evolvitur. Idem hiſtoricus de promontorio Michaëlis eodem loco ſcribit. *Contigit in proximum Eccleſiam beati Michaëlis Archangeli cremari incendio, quæ ſcilicet conſtituta in quodam promontorio littoris Oceani maris, toto orbe nunc vſque habetur venerabilis: nam & inibi certiſſimum conſpicitur, videli-*

Le Mont ſaint Michel Ardrer.

Senuna.

cet ex incremento atque decremento lunari eundo ac redeundo processu mirabili in giro ejus promontorii, reuma scilicet Oceani, cujus etiam maris excrementum Malinas vocant, decrementum quoque Ledones nuncupant: atque ob hoc maximè prædictus locus à plurimis terrarum populis sæpius frequentatur. Est etiam non longè à prædicto promontorio fluuiolus cognomento Arduus, qui post hæc paululum excrescens per aliquod temporis spatium intransmeabilis effectus ad prædictam Ecclesiam ire volentibus viam plurimum impedientibus aliquantisper ejusdem itineris obstaculum fuit: postmodum verò in sese rediens profundissimè littus suo cursu sulcatum reliquit. De eodem promontorio hæc Armoricus breter scribit. SEQVANA.

Hic summo rupis in vertice scemate miro
Condidit Ecclesiam devotio Christicolarum,
Angelico monitu sibi quam sacravit honore
Perpetuo Michaël Archangelus, ut famuletur

SEQVANA. *Chriſto ſemper ibi monachorum concio ſancta,*
Quo vix perque gradus aſcenditur, inferiuſque
Pendula villa domos ſpecioſas & plures habet:
Et populi multi ſatis ampla ſede capaces,
Qui locus in cœlum ſe taliter elevat, vt dum
A longè aſpicitur, aliud nihil eſſe videtur,
Ardua quàm turris hominum fabricata labore.

Circa annum Domini ſeptingenteſimum decimum S. Michaël Abrincenſium Epiſcopum monuit, vt in ſummitate montis qui à ciuitate Abrincenſi diſtat ſex millibus, Eccleſiam in nomine ejus conſecraret.

Auranche.

Eoſdem verò Abrincantuos à Britonum finibus *Coethnus* amnis ſeparat atque diſtinguit, vt ille ipſe Armoricus tradit libro octauo, cùm ait:

Coethnon, r.

——————— *Abrincos*
Finibus à Britonum quos limitat vnda Coethni.

Castra verò *Constantia* Episcopum habent, à Constantino Cæsare Constantini Magni filio dicta, vt ex Marcellino apparet. Illa verò civitas muris incincta fossisque est. Extra eam versus occidentem solem in ima valle visuntur Romana opera, & altissimæ columnæ incredibilis structuræ, sub quibus fluit *Bulsardio* rivulus, supraque eas instar pontis fornices per quos fons semileuca ab eo aquæductu distans per tubulos plumbeos perducitur vsque ad vrbem Constantiensem, & quidem mediam, sine quibus tubulis aqua ferè destitueretur. Supersunt *Lexovii* & *Aulerci*, de quibus Armoricus ait 5. Philippidos:

SEQVANA. *Coutãce.*

Burd, r.

——— *Siceraque tumentis*
Algia potatrix, Lexouia fontis egena,
Quæ pro fonte maras gaudet potare lutosas.

AVGE.

In Ecclesia Lexoviensi Archidiaconus Algiensis est notissimum nomen ab Algia dictum. Regino historicus ad annum Christi millesimum octingentesimum nonagesimum narrat Normannos, *quod*

SEQVANA. *dam castellum in Constantiensi territorio, quod ad sanctum Loth dicebatur, obsedisse; accessum ad fontem aquæ ex toto prohibentes oppidani siti arescentibus fit deditio eo pacto, vt vita tantum concessa cætera tollerent. Illis à munitione progressis gens perfida fidem & promissa data prophanat, omnesque absque respectu jugulat: inter quos Constantiensis Ecclesiæ Episcopum interimunt.* Qui historicus sancti Viri de quo loquitur, nomen nescivit, quem Constantienses Landum appellant. Quas autem maras Lexoviorum esse dicit Armoricus, easque à Lexouiensibus potari, hæ sunt resides aquæ. Algiam autem appellat, quam vulgò Augiam Aulercorum Normanni vocant. Quæ regio sub Lexoviorum Episcopatu est, & de eorum naturali eloquentia alibi diximus. Superest vt de aliquot Normanniæ locis nondum expositis pauca dicamus: ac primùm de *Fiscanensi* Monasterio, de quo Glaber c 4. l. 4. sic ait: *Fiscanense Monasterium supra mare constitutum, à Rothomagensi urbe*

S. Lo.

Fescam.

quadraginta fere milliaribus distat. SEQVANA.
Paulus Diaconus de Longobardis libro 1 capite 6. de Ebodia insula quid dicat videamus: *Triginta fermè millibus à Sequanico littore Ebodia insula distat, in qua, sicut ab incolis ipsis asseveratur, vergentium in eadem Charibdi aquarum garrulitas est.* Audiui quendam nobilissimum Gallorum referentem, quod aliquot naues priùs tempestate convulsæ, postmodum ab hac eadem Charibdi voratæ sint. Cæterùm præstat quinti capitis initium adjungere ad intelligendum quid sit vorago, & vbi sit. *Nec multùm procul ab hoc de quo prædiximus littore contra Occidentalem partem, qua sine fine Oceanum pelagus profundissima illa aquarum vorago est, quam vsitato nomine maris vmbilicum vocamus, quæ bis in die fluctus absorbere & rursum euomere dicitur, sicut per vniuersa illa littora accedentibus & recedentibus fluctibus celeritate nimia fieri comprobatur.* Hujusmodi vorago à Poëta Virgilio Charibdis appellatur, quam ille in freto Siculo esse his versi-

SEQVANA. bus attestatur.

Dextrum Scilla latus, lævum implacata Charibdis
Obsidet, atque imo barathri ter gurgite vasto
Sorbet in abruptum fluctus, rursusque sub auram
Erigit alternos, & sidera verberat vnda.

Ab hac sanè de qua diximus voragine sæpe naues rapi, è cursuque attrahi affirmantur tanta celeritate, ut sagittarum per aërem lapsus imitari videantur & nonnumquam in illo barathro horrendo nimio exitio pereant. Sæpe cùm jámque mergendæ sunt subitis vndarum motibus retroactæ, tanta rursus agilitate inde elongantur, quanta priùs attractæ fuerant. Affirmant esse & aliam hujusmodi voraginem inter Britanniam insulam, Galliamque provinciam. Cui etiam rei astipulantur Sequanica, Aquitanicaque littora, quæ bis quotidie tam subitis inundationibus opplentur, vt qui fortasse aliquantulum introrsus ad littora deprehensus fuerit, evadere vix possit. Videas ea-

rum regionum flumina fontes versus cursu velocissimo relabi, ac per multorum millium spatia dulces fluminum lymphas in amaritudinem verti. Ac ne quis duo nos flumina agri Lexouiorum obmisisse queratur, dicemus *Iuam* Lexouiorum populos irrigare, & *Rillam* amnem in eadem diœcesi fluere, nominarique S. Pauli super Rillam municipiolum. Post ostium fluminis Sequanæ occurrit *Portus Gratiæ*, quem Franciscus primus ædificare cœpit adversus vim Anglorum, Henricus verò filius ejus egregiè munivit. In eadem ora maritima *Fiscanum* quoque Monasterium situm suprà diximus. *Dieppa* sequitur, à fluuiolo nomen habens, vnde Armoricus:

SEQVANA.

Iue, r.

Rille, r.

Le Havre de. Grace

DIEPPE.

—*portus fama celeberrimus, atque*
Villa potens opibus florenti nomine Deppem.

Postremo *Aucum* non longè ab Oceano adhuc Normannicum est, cujus populos callidos, cautosque esse natura cognitum est, nec subjici velle legibus aut moribus vllius gentis, & morum suorum ob-

EV.

SEQVANA. ſervantiſſimos cuſtodes eſſe. Intra viginti quatuor horas licet eis ab eo quod dixerint promiſerintque impunè diſcedere. Litigare ſcienter & nodum in ſcirpo quærere ſolent, ut non ſine cauſa Placentinus Normannos eſſe doli capaces ante pubertatem olim dixerit. Eoſdem ego ingenioſos ad percipiendas bonas artes & ſcientias prædico.

Picardia ſtatim ſequitur, quæ Belgicæ ſecundæ partem facit, in qua *Gualerici* Aruerni genere monaſterium atque oppidum indigenæ non Galerici, ſed corruptè Valerici ſolent appellare. De ſitu ejus in vita ſancti Galerici agitur his verbis; *Situs ejus loci commodiſſimus eſt. Namque ab uno latere ex propinquo mari multam habet amœnitatem, ab alio verò præterfluit piſcoſus fluvius Summa, atque illic ſuper ſcopulos & ſaxa ingentia, ab imo uſque ad ſublime viſuntur ſtructa ædificia quæ admirandam præbent vicinæ regionis hominibus ſpectaculum. Porro à parte tertia quæ ceteris præcellit, humus eſt optima & valde fertilis, & tàm arboribus pomiferis*

S. Valerij.

Sume 1.

quàm silvestribus, iisque & densis & speciosis, magno ambitu cingitur ad multam utique amœnitatem. Nec abs re fuerit etiam quod in vita Burchardi Comitis Corbolii reperitur, hoc modo. *Tempore gloriosi Roberti Regis circa annum Domini millesimum vigesimum octavum, regni verò sui quadragesimum primum, dum Francorum regnum optima pace gubernaretur, subitò idem regnum maligna conturbatur adversitate. Unde accidit ut quidam hujus seculi ventosa nobilitate prædives Arnulphus Comitatus officio insignitus contra dominum Robertum insurgeret: & contra quæ ejus ditioni subjecta fore videbantur, incendio concremaret, & ea mala quæ inferre poterat in omnibus adhiberet. Qua discordia prævalente, & diaboli sævitia præeunte Cœnobium sancti Walarici adiit, incendio cuncta quæ potuit concremavit, atque ipsum corpus Confessoris Christi proprio dominio subdidit. Qua de re tristitia magna repleti monachi, tanto carentes patrono celeri gressu Regem Francorum adeunt, poscentes ut eis succurrere dignaretur.*

SEQUANA.

SEQUANA. Qui eis præsentiam sui exhibere non valens Dominum Burchardum exorando deprecatur, ut eis sua vice succurreret, & eis corpus sanctum quo valeret juvamine reddere faceret. Venerandus verò Burchardus Comes illuc adveniens, de Dei gratia corde confidens, Comitem Flandrensem adiit, Regia profert verba, & eum exorando deprecatur quatenus Confessoris Christi membra quæ iniqua cupiditate sustulerat, voluntate & misericordia Dei præeunte solo restitueret proprio: qui ejus precibus assensum præbens, pacem fecit cum rege & Francis, & quod à tanto Comite petebatur, celeriter adimpletur. Cumque venissent ad fluvium qui Summa dicitur, & inde transire vellent: repente mare cernunt inundasse, & viam sancto corpori Comitique Burchardo & cæteris qui cum eo erant denegare. Tunc Comes qui bajulus sancti corporis erat, cunctis audientibus ad Deum tota mente exorantibus dixit: Domine Jesu Christe, si misericordia voluntatis tuæ existit ut corpus hujus sancti tui proprio restituatur cœnobio, jubeas nobis hoc

SEQUA NA.

flumen maris clementia tuæ bonitatis dividere, & viam hujus itineris clementia tua nobis pandere non dedignetur, quatenus hæc plebs tuo nomini serviens ad laudem gloriæ tuæ, & ad honorem hujus sancti tui corde devoto munera laudum læta cordis exultatione persoluere valeat. Ad hanc vocem servi Dei & precibus sancti sui exoratus Dominus, subitò æquoreum mare ita divisum est, ut bajuli sancti Corporis & cunctus populus laudando & benedicendo Dominum Deum cum summa laudis devotione illud æquoreum maris periculum siccis vestigiis absque ullo maris periculo pertransiret: ex quo facto illud Dominus reiterare dignatus est miraculum quod per Moysem famulum suum fugientibus filiis Israël per medium mare operari dignatus est. Hic verò amnis non est admodum largus, sed altus, & *Sumina* vocatur à Fortunato Pictauiensi Episcopo; sic enim ait c. 10. vitæ S. Medardi: *In prouinciam ducitur Francorum acies Clotarij Regis cum manu valida ad fluvium cui vocabulum Sumina.* In vita S. Opor-

SEQUANA. tunæ *Somona* dicitur. Id veliuolum flumen est, nunquam astringitur gelu, uno loco periculosissimè navigatur propter cæcum gurgitem, accolis tamen cognitum. Gregorius antiquissimus rerum nostrarum scriptor eodem nomine appellat, ipsumque esse ex pulchris magnisque fluminibus regni Franciæ multi autores testantur. De eo & pluribus aliis poëta Gallicus sic cecinit :

Tu n'as rien veu, que Dordogne & Gironde,
Bien tost verras la Charante profonde,
Loyre au long cours, Seine au port fructueux,
Saune qui dort, le Rosne impetueux,
Aussi la Somme, & force autres rivieres,
Qui ont les bords de maintes villes fieres.

Quibus versibus Ligerim quidem ob longissimum cursum eius laudat, Sequanam propter fructuosum portum, Ararim dormienti similem, ob leuem eius motum,

Rhodanum impetu rapidum esse dicit. Sommam multis vrbibus instructam atque ornatam, quam id circo ab ortu fonteque petimus. Oritur in vico Veromanduorum *Feruaquio*, vnde *S Quintini* municipium petit: de quo Usuardus in Martyrologio vetus scriptor sic ait: *In Galliis oppido Vermandensi sancti Quintini, qui sub Maximino Imperatore martyrium passus, cujus corpus post annos quinquaginta quinque revelante Angelo inventum est.* Hæc ille pridie Kal. Nouembres. In vita quoque eius martyris scriptum inuenio quod sequitur: *Eius venerabile corpus licèt ab impiis in Somona fluvio cum plumbo fuisset immersum, tamen per annos plurimos latuit, & incorruptum est repertum.* Sigebertus historicus ad annum nongentesimum sexagesimũ quartum: *Ecclesia*, inquit, *S. Quintini martyris est in insula super fluvium Somonæ sita, cuius martyrium anno Christi trecentesimo secundo contigit.* Addit Sigibertus, ab Eusebia matrona in superiori loco præeminentis oppidi, quod antiquitus

SEQVANA.

Somme, r.

Saint Quentin.

Vermãdois.

SEQUANA. Augusta Veromanduorum vocabatur, corpus eius esse collocatum, & rursus ab Eligio Episcopo Nouiomensi detectum. De Veromandica autem regione, de Ambianensi, deque Santeriensi quomodo Philippo Regi cesserint, & quàm vberes sint, Armoricus secundo Philippidos tradit.

Amiẽs.

Santerre.

Sic Regio quàm lata patet Veromanica tota
Ambianensis humus pariter cum Santeriensi
Vbertate soli Regi cessere Philippo.

Ambianorum fines Neruij contingunt. Cæsar lib. 2. de bello Gallico Idem lib. 3. *Veromandui & Attrebates sunt finitimi Nerviorum.*

Peronne. Inde Summa *Peronam* progreditur atque alluit, vbi flumem ipsum ponte iungitur. De Perona satis erit indicare in Templo illius sepultum Carolum Smplicem Regem Francorum, malignitate doloque Heriberti Comitis Veromanduorum captum Quatuor leucis ab Ambiano clarissima vrbe

distat *Corbia*, quæ & vrbis nomen est, præclarique admodum Cœnobii, quod Summa alluitur. Quam quidem quà respicit Attrebates populos, idem flumen alluit. Ambianum sequitur, cuius cives indiligentia suorum ius liberæ custodiæ quod eis Reges reliquerant, vltimis bellis amisere, cum ab Hispanis turpiter capti ne dicam deprusi fuissent, oportuissetque Henricum quartum fortissimum Regem illa obsessa cogere hostem ad deditionem illius, etsi non voluntariam. *Pequigninum* supra Ambianorum vrbem est tribus milliaribus, ponteque iungitur. Postremò Abbatis-villam præclaram nunc vrbem alluit, à qua distat sancti Richarii monasterium duabus leucis. Id olim *Centula* S. Richarii Presbyteri monasterium fuit, ut Vsuardus ait: unde fluviolus rectà in Suminam decurrit, caniturque hodie antiquus ille versiculus,

Turribus à centum Centula dicta fuit.

Richarij autem monasterium tàm celebre in regione *Pontiven-*

SEQUANA.

Pequigny.

Abbeville.

S Riquier.

Ponthieu.

SEQUANA. *ſium* eſt. Reſtat vt de oſtio tanti & tam egregii fluminis Summæ aliquid dicamus, quod ſatis prope *Crotoſium* eſt, vrbem, caſtellum, portumque Pontiuii. Regio Pontinenſis vocatur Pontiuum in vita Bernardi eremitæ ex Abbatis-villa: alii regionem *Pontium* dictam volunt à pontibus, quos propter paludes præterire oportebat. *Altilia* ejuſdem Picardiæ fluuius, prope *Dulendium* oritur, ſeque in Oceanum præcipitem dat non admodum procul à ponte *Collinarum*, vico Pontiuenſium. Super *Munſtrolium* vrbem illius regionis amnem eſſe Pontiuenſium mihi retulit nobiliſſimus Adrianus Boſſlerius peritiſſimus regionis ac proprietarius *Boſſlerii* Caſtri, quod in ripa ejuſdem loci propè ſitum eſt: à quo didici eundem fluuium altis marginibus contineri. Accolæ etiam alueum Altiliæ illum vocant. Dulendium autem à vico & caſtello Autiæ (ita enim Gallica voce Altilia dicitur) duabus tantum leucis diſtat, vadoſuſque eſt hic amnis trajicere volentibus ab Ambianis

Aultre, r.

Dorlens

Mon ſtrueil.

ad Atrebates, alibi vado carere dicitur. Postremò Altilia infra pontem Collinarum & passum Altiliæ funditur in Oceanum, nec æstimari potest quot in ripis ejus castella, vici, monasteria diuersorum ordinum, vrbes munitionesque cum multa oblectatione animi visuntur. *Canceia* & Summa olim Pontivensium clausuræ dicebantur, & ille quidem in vico *Magnicurtio* oritur, & Comitatu sancti Pauli, peracto tandem cursu in mare exoneratur supra *Monstrolium* vrbem, inter cellam *sancti Jodoci* Pontiuensis, & *Stapulas* Lupi doctissimi Abbatis Ferrariarum, diœcesis Senonensis, qui epistolas Ludouico Pio, & Carolo Caluo ejus filio regnantibus scitè perscripsit. Canceia autem *Hesdinum* Attrebatum labitur, pluribusque acceptis fluminibus in Oceanum se effundit. In Bellovacis Picardiæ populis, qui latè patent, *Tharam* majorem, & *Therinam* minorem amnes omittere non debeo. Uterque ab occasu profluit, vterque in Orientem fertur: quod rarissimum est. *Mil-*

SEQUANA.

Canchet.

Manicourt.

S. Iosse.

Beauvoisin.

Picardie.

Thare, r.

Therin.

Milly.

SEQUANA. *liacum* autem locus eſt Bellouacorum, Caſtellania hodie à Claromonte dependens, ad Regeſque pertinens, certa tamen ex parte ad Hadrianum Boſſerium egregiè nobilem, cujus domicilium indicamus eſſe in Bellovacis vico Cagnio. Hi duo fluuioli concurrunt atque confluunt, & aquas ſuas permiſcent, abundantque troctis & cancris In vita ſancti Luciani de Thara reperio quod ſequitur: *A monte (Millio) quaſi millibus tribus Thare tranſacto, vnde pervenit Lucianus ad locum quem vir ſanctus funeri tradendum elegerat vno ab vrbe milliario diſtans, in agello publico, ibique cum palma victoriæ ſanctus requiévit in pace.* Et quidem in Bibliotheca Monaſterii S. Victoris juxta Lutetiam exemplar reperi, nec ſolùm ibi, verùm etiam Beluaci, & Græcè ſcripta eſt, præfixaque olim à Perionio doctiſſimo viro operibus Diui Dionyſii. Prope Milliacum autem mons eſt nomine *Millius*, & pratum in ejus ſummo viſitur, in quo Lucianus martyr capite plexus vitam amiſit.

Usuardus ad V. Idus Januarias : *Belnaci*, inquit, *SS. Martyrum Luciani Presbyteri, Maximiani & Juliani, quorum Maximianus & Julianus primò à persecutoribus gladio puniti sunt. Deinde beatus Lucianus post nimiam cædem cùm Christum viua voce confiteretur, priorum sententiam & ipse excepit.* Thara verò & Therina fluunt prope *Belnacum* clarissimam vrbem, sedemque Episcopi. Cæsar lib. 2 de Bello Gallico ; *Plurimi inter Belgas aiunt, Bellouacos & virtute & auctoritate & longè numero valere, ac posse conficere armata millium centum.* Hodie quidem id non potest, Cæsar (pace tua dixerim) nisi multos belli socios imploret. Deducitur intra vrbem riuus canali exceptus, qui eam perluit. Thara verò recepto jam riuo, quem intra mœnia deductum diximus, in radicibus Tharæ montis fluit. Et Thara quidem lapideum pontem habet antequam in Aisiam labatur, à quo ponte collocatis equis tractoriis efficitur vt facilius magna onera ex Aisia accipiat, cujusmodi sunt nauigia sale

SEQUANA.

SEQUANA. onusta: nec fluere, sed cadere in illam necesse est, & altiorem esse. Indicare quoque necessarium puto in qua parte Picardiæ sita sint hæc loca, *Frigidus mons*, atque *Hermetis* illi vicinus, & collis sive mons qui nostratibus Gallis eorumque lingua *Beauuoir* dicitur, jactu arcus distans à Bretulio, sex leucis à Belvaco, totidem ab Ambianis & Monte Desiderii. Restant vestigia magnę vrbis loco palustri. Vox autem *Beauvoir*, aut si mauis Italicè loqui *Belvedere*, ab omnibus vicinis *Bretulio* populis celebratur. Dulacius domum suam ædificans reperit in jaciendis fundamentis quadrorum quantitatem admodum crassorum in veteribus muris, rubicundorumque instar sandali eo loco quem rusticani accolæ *Campos Trigui* appellant. *Sanguinis tersi* regionem Picardi vocant, quatuor leucis à Perona, Roya & Desiderij monte distantem. Postremò *Codiciacus*, & *Veruinium*, *Bratuspantium* quoque esse oppidum Belloaacorum Cæsar scribit libro secundo Commentariorum, & vbi fuerit

Froidmont. *Montdarmes.* *Beauuoir.* *Breteuil*

Coucy. *Vervin.* *Gratepanse.*

ex similitudine nominis quod restat *Graiepanse* dicitur, mutata prima litera nominis Latini in B. *Frigidus mons* à Beluaco distat leucis tantùm quatuor, estque situs Monasterij Cisterciensis Ordinis, in qua cella Helinandus historicus vixit, cuius opera in pluribus Galliæ armariis reperiuntur. Hoc enim scio. Prope quod Monasterium positus est Mons Hermetis, vbi adhuc in fodienda terra reperiuntur metallicæ aut æreæ mortalium imagines, visiturque Castrametatio Romanorum duobus ferè passuum millibus à Bretulio Picardiæ vico. Hæc Dulacius genere Aruernus magnæ autoritatis senex Advocatus mihi & pluribus narravit, quartam leucæ partem vestigiorum vrbis antiquæ & statuas & imagines æreas, & his similia detegi. Hæc narrabat homo minimè curiosus, de vicino sibi fundo loquens. *Codiciacus* verò est locus situ alto atque eminenti, & naturaliter munito ac despicienti vndique subiectam planiciem admodum fertilem, quæ semen terræ dici potest.

SEQUANA.

Froimont.

SEQUANA. Codiciacum nemo quod ſciam appellavit, qui ante Flodoardum vixerit. In finibus autem Laudunenſis vrbis & Epiſcopatus collocatus eſt, & Veromanduorum finibus continetur. Denique *Verminium* vrbis nomen eſt ſitæ in confinio Annovicorum, id eſt in regione Tiraſchia, eſtque in edito monte ſitum, quod & admodum validum natura eſt, & expugnatu difficile, & aliundè ſatis munitum. His expoſitis moneo fines Sueſſionum, proximos Remis dici à Cæſare libro ſecundo Commentariorum de bello Gallico.

Verminium. *Tiraſche.*

Ut verò ad Aiſiam reuertamur, *Verberia* eſt oppidulum quatuor diſtans leucis à *Siluanecto* vrbe & Epiſcopatu celebri, propinquum eidem Aiſiæ in via quà Compendium itur. In quo quidem oppidulo domus eſt pertinens ad ordinem Redemptionis captivorum, qui ab immanibus Turcis vincti detinentur. Id oppidum aliqui *Vermeriam* ineptè appellant, cùm ſcribi Verberiam oporteat. In foſſis Siluanecti vrbis fluit à meridie exiguus

Verbery

exiguus amnis nomine *Nonneta*, oriturque duabus ab ea vrbe milliaribus, ac per *Centulliam* villam Memorantiorum fluit, & in Aisiam labitur tribus leucis cum dimidia ab eadem amœnissima villa quam Memorantii Proceres vt suam colunt. Aisia postmodum acceptis Syluanectensis agri amnibus, *Credilium* epistola Lupi Ferrariensis cognitum alluit, & *Maxentiæ Pontem*. De eo loco Appendix Gregorii Turonensis cap. 26. loquitur in hunc modum: *Ebroinus cum multo comitatu exercitum Luxouio cœnobio egressus, vsque Isaram fluuium veniens accessit, custodes dormientes interfecit, ad sanctam Maxentiam atque Isaram fluuium transiens, quos ibi inuenit de insidiatoribus suis occidit.* Quem locum in verbo Issam bis posito corrigimus, vt necesse est, Isaram pro Issa substituentes *Bellomontem* postea sanctique Lupi oppidula idem fluuius irrigat, *Adami Insulam* faciens in agro Parisiorum, Aisiæ pontis oppidum alluit, Isaraque ab incolis ineptè dicitur, cùm Aisiam

SEQVANA. *Nonnette. Chantilly. Creil. Pont sainte Mexãce. Luxeul. Beaumont. L'Isle Adam.*

SEQVANA. nominari oporteat, nec veterem errorem ſequi. Poſtremò infra Aiſiæ oppidum longiùs fluit, decurrens in locum quem vocant *Finem Aiſiæ*, & Gallica voce *la Fin d'Aiſe*, inter *Confluentum* & *Andreſiacum*, labitur in Sequanam Regem fluviorum, ut ita dicam. Nec dici poteſt quot & quanta commoda Aiſia fluvius propter mercimonia varii generis, & ligna Pariſiorum vrbi quotannis afferat, licèt adverſo Sequana, in quem ſe effundit cùm in eam vrbem navigandum ſit.

La Fin d'Aiſe.

Morinorum gentem vltimam eſſe mortalium circa mare Oceanum Ptolomeus ait. Et Virgilius illo ſemiverſu:

—*Extremique hominum Morini.*

At Gratius in Cynegitico.

Quid freta ſi Morinum dubio refluentia ponto
Noveris?

Ac Morini quidem ſubjiciebantur Epiſcopatui *Taruanenſi*. Ipſa vrbe conſenſu Principum dirutaatque euerſa, ſolo fluuiolo nomine *Leyt*, ad quem ſita erat, incolumi

Teroanne.

Leyt, ruiſſeau

& integro permanente, tres ex ea Episcopatus constituti sunt, quorum vnus Boloniæ ad Oceanum collocaretur, duo, Yprensis scilicet & sancti Audomari, diuisis parochiis Belgio relinquerentur. Erectio quidem Episcopatus *Boloniensis* facta est anno millesimo quingentesimo sexagesimo sexto, & primus Episcopus creatus est anno proximè insecuto. *Pontiuum* verò Galli vt suum habent. In vita S. Saluii Monstroliensis docetur Pontiui provinciam appellari regionem illam. Joannes Comes Pontiui anno millesimo centesimo quinquagesimo octauo talem titulum publicis literis sibi attribuit. *Poncharum* vicus antiqua & nobilis Perria Pontiui pertinet ad Adrianum Bouflertium spectatæ virtutis & nobilitatis virum, sic dictum à *Castro Pontiuii*, in extremis paludibus sito. Hincmarus Archiepiscopus Remensis ad Ludovicum Balbum Regem Francorum scribens, *Ponticum* vocat, non Pontiuum.

SEQVANA.

Boloigne.

Ponthieu.

Nunc *Calesium* venio. Eum locum Philippus Comes Boloniæ, &

SEQVANA. patruus Ludouici noni tunc viventis, primus munire, ac muris cingere cœpit, quod munitionem illam bello gerendo vtilem prospiceret propter viciniam Oceani, indeque brevissimum & facilem sibi in Angliam trajectum petere liceret, vt in historia Ludovici noni fratre Philippi geniti cap. quarto exponitur, quod Chronicon seu vita scripta est à Joanne Jonvillæ Domino sub Catalaunensi Episcopatu & Senescallo Campaniæ in Belgica sitæ, vixitque temporibus ejusdem Ludovici, quem nos sanctum dicimus. Caletium verò non est portus Itius, vulgò de *Essen*, quem Flandri *Isten*, Bolonienses in Consuetudine sua *Vuissem* vocant, vnde commodissimum è Gallia in Britanniam trajectum esse Julius Cæsar scripsit his verbis quarto Commentariorum: *Cæsar cum omnibus copiis in Morinos proficiscitur, quod inde erat brevissimus in Britanniam trajectus.* Caletium enim vrbis nomen est, à quadringentis annis constitutæ. Portus verò Itius hodie non clausus, situsque

Calais.
Essen port.

inter Caletium & Boloniam, vbi vestigia portus adhuc visuntur, redacti ad formam prati virentis, acervusque ingens aggestæ terræ fossis adhuc cinctæ visitur. Unde nihil vicinius Angliæ regno, quatuor enim leucæ cum dimidia supersunt trajecturæ in Britanniam insulam. Cæterùm soluenti à Caletio secundis ventis in eandem insulam itur tribus horis. Cæsar libro quinto Commentariorum belli Gallici, collaudatis militibus atque iis qui negotio præfuere, quid fieri velit ostendit, atque omnes ad portum Itium convenire jubet. Quo ex portu commodissimum in Britanniam trajectum esse cognovit, circiter millium passuum triginta transmissum à continenti. Ejusdem Cæsaris ex libro sexto hæc quoque sunt. *In insula Britanniæ (id est Anglia) celeberrima ædificia esse ferè Gallicis similia.* Materiam cujusque generis vt in Gallia esse præter fagum & abietem, loca quoque temperatiora quàm in Gallia remissioribus frigoribus, insulam esse natura triqueta, cujus

SEQVANA-

SEQVANA. vnum latus est contra Galliam, ad Cantium omnes Gallicas naues appelli, regionem maritimam omnem, neque multam à Gallica differre consuetudine. Nunc de Morinis ex epistola Paulini ad Victricium Episcopum Rotomagensem. *Nunc*, inquit, *in terra Morinorum situ orbis extrema, quam barbaris fluctibus fremitus tundit Oceani, gentium populi remotarum: qui sedebant in latebris via maris arenosa extra Iordanem antequam pinguescerent fines deserti, in ea ora sibi per tuam sanctitatem à Domino luce gaudentes, corde aspera Christo intrante posuerunt. Vbi quondam deserta sylvarum ac littorum pariter in tota aduenæ barbaria aut latrones incolæ frequentabant, nunc venerabiles & Angelici sanctorum chori vrbes, oppida, insulas, sylvas, Ecclesiis & Monasteriis plebe numerosis pace consona celebrant.* Et paulò infra de Neruico littore loquitur in hunc modum: *In remotissimo Nervici littoris tractu, quem tenui adhuc spiritu fides veritatis afflaverat, & potissimum in vas electionis excer-*

siti, in te prima refulsit, clarius incaluit, ardentius & propius apparuit: in quo sanctificaret illic nomen, & per cujus nomen etiam à solis occasu in omnem terram sonus ejus exiret. SEQVANA.

Gessoriacum littus esse gentis Morinorum ex initio Bedæ de historia Ecclesiæ Anglorum apparet. *Moto ergo velitari auxilio, Herutis scilicet & Batavis, numerisque Mesicorum pluribus adulta hyeme, Lupicinus dux Boloniam venit, quæsitisque navigiis & omni composito milite, observato flatu secundo ventorum ad Rutupias sitas ex adverso defertur, petitque* LONDINVM. Hæc Ammianus lib. 20. Idem l. 27. *Ad hæc prohibenda si copiam dedisset Fortuna prosperior, orbis extrema dux efficacissimus petens cùm venisset ad Boloniæ littus, quod à spatio controverso terrarum angustiis reciproci distinguitur maris attolli horrendis æstibus assueti, rursusque sine vlla navigantium noxa ad speciem complanari camporum exinde transmeato lentius freto defertur Rutupias stationem ex adverso tranquillam.* In

SEQVANA. Comitatu Bolonienſi & in ipſa vrbe eſt Abbatia beatæ Virginis, in qua Episcopi ſedes: extra eam quinque aliæ, & quatuor Prioratus. Ab Rege Franciæ etiam tenebat Comitatus D. Pauli *ob Deſurenam* Caſtrum ab eodem Bolonienſi appendens, ſicuti primis verbis Conſuetudinis municipalis oſtenditur. *Foſſa* verò *Bolonienſis*, quam vocant, in circuitu habet leucas ſex & viginti.

Lyane, r. *Lyana* oritur ſupra *Cremarem* vicum quem irrigat, *Queſtocquam* & prope *Samelium* Benedictini ordinis Monaſterium fluens, vicos aliquot alluit priuſquam pontem attingat quouſque Oceani fluxus percurrerit. Deinde in portu Boloniæ in mare effunditur prope Dunefort ab Anglis exædificatum. Igitur Lyanæ curſus ſeptem aut octo leucas non excedit. Troctum piſcem alit atque optimum: mercatores eum optarent navigabilem vt ligna afferret è vicinis illi ſylvis, quibus regio abundat.

De Mosa & Mosella, aliisque fluviis Mediomatricum.

MOSA flumen profluit ex monte *Vogeso*, qui est in finibus Lingonum, vt Cæsar ait, progressusque longo cursu inter *Barrensem* & *Lotharingiam* provincias, *Verdunum* vrbem Episcopatu ornatam, & Regi Galliæ obedientem alluit. Deinde *Moseriarum* vrbem, quæ ad eundem Regem pertinet, moxque longiore cursu influit in Rhenum. *Sabis* nunc Sambra amnis erumpit è *Vivario* Osii vulgo *d'Oisy*, quod ad Ducatum Guysiæ pertinet, ac prope Namurcum in Mosam labitur. Profundus est, & margines altos habet. Hæc Guilielmus Bellaius de Sabi nobilis historicus, & Andegavensis genere in Gallia natus refert. *Mosella* verò circa fines Lingonum ortus describitur à Fortunato Episcopo Pictaviensi ad Vil-

MOSA. *la Meuse, r.*

Sambre, r.

Oisy.

La Moselle, r.

MOSELLA. licum Episcopum Metensem, in hunc modum.

Gurgite cæruleo pelagus Mosellare laxat,
Et movet ingentes molliter amnis aquas.
Lambit odoriferas vernanti gramine ripas,
Et lavat herbarum leniter unda cõmas.
Hinc dextra de parte fluit, qua Salia fertur,
Flumine sed fluctus pauperiore trahit.
Hic vbi perspicuis Mosellam cursibus intrat,
Alterius vires implet, & ipse perit.
Hoc Metis fundata loco speciosa coruscans
Piscibus obsessum gaudet vtrumque latus.
Deliciosus ager ridet, vernantibus arvis,
Hinc sata culta vides, cernis & inde rosas.
Prospicis vmbroso vestitos palmite colles,
Certatur varia fertilitate locus.

Urbs munita nimis, quam cingit murus & amnis, MOSELLA.
Pontificis meritis stas valitura magis.
Villicus æthereis qui sic benè militat armis,
Stratus humi genibus te levat ille suis.

Sed ante eum Decius Ausonius in Mosellæ descriptione nihil omisit, quod voluptatem aut gratiam habeat, quam idcirco præterimus, quia longa est, & apud eum authorem reperitur.

Saliam verò versu ad Gogonem ita complectitur. *La Salie, v.*

Seu qui Metas adit de sale nomen habens.

Salia è Lindo lacu profluit, nec ad aquandum vtilis est, nec laudabilem piscem alit, sed insipidum. De qua & Joannes Abbas in vita Gosuidis. *Clericus Monasterii ipsius vicem officii Ecclesiastici in ordine proprio administrans, cui nomen Fulgebertus erat, fluvium civitati à parte Orientali contiguum, qui Sallia dicitur, causa aliqua trajicere gestiebat.* Tacitus refert Lu-

MOSELIA. cium Verum Nerone imperante, Romanarum legionum in Germania legatum, Mosellam atque Ararim flumina, facta inter vtrumque fossa, parasse connectere, vt copiæ per mare, dein Rhodano & Arari subvectæ per eam fossam, mox flumine Mosella in Rhenum, exin Oceanum decurrerent, sublatisque itineris difficultatibus navigabilia inter se Occidentis Septentrionisque littora fierent: cui operi Gracilem Belgiero legatum invidisse dicit, ac deterruisse. Verùm ne legiones alienæ provinciæ assuescerent studia Galliarum affectare, formidolosum id Imperatori dictitans, quo plerumque prohibentur conatus honesti. Tacitus lib. 13. Vibius Sequester Mosellam Belgicæ defluere in Rhenum describit. Ausonius de Treveris ait:

Largus tranquillo perlabitur amne Mosella.

Et Ammianus lib. 16. *Apud Confluentes locum ita cognominatum Mosella confunditur Rheno.* Hæc duo flumina describuntur à Julio Cæsare, lib. 4. *Mosa*, inquit, *pro-*

fluit ex monte Vogeso qui est in finibus Lingonum, & parte quadam Rheni recepta, quæ appellatur Vabalis, insulam efficit Batavorum, neque longius ab eo millibus passuum octogintà in Oceanum influit. Et hæc quidem quatuor flumina Mosa, Mosella, Arar, Matrona, è Vogeso oriuntur, ac tantùm fermè distat fons Matronæ à fonte Mosæ quantùm Arar à Mosella, decem videlicet leucis. Lector quoque annotabit *sancti Romerici* Montis Burgum & Ecclesiam sancti illius in confinio esse Burgundiæ, Franciæ, vel Lotharingiæ. Prætereo descriptionem Mosæ à Guichardino accuratè factam. Ad Rhenum venio. *Rhenus* Rethicarum Alpium inaccesso ac præcipiti vertice ortus, modico flexu in occidentem versus septentrionali Oceano miscetur. Cornelius Tacitus de sita & moribus Germaniæ. Idem autor Annalium lib. 20. de eodem fluvio sic ait: *Rhenus in alveo communi haud modicas insulas circumveniens apud principium agri Batavii velut in duos amnes dividitur, servatque*

MOSELLA.

S. Romerius.

MOSELLA. *nomen & violentiam curſus quà Germaniam prævehitur, donec Oceano miſceatur, ad Gallicam ripam latior & placidior diffluens, verſo cognomento Vahalem accolæ dicunt, mox id quoque vocabulum mutat Moſa fluvius, ejuſque immenſo ore in eundem Oceanum effundit.* Et Annalium lib. 11. de Claudii temporibus loquens: *Corbulo*, inquit, *ne miles otium exueret, inter Moſam Rheni trium & viginti millium ſpatio foſſam perduxit qua maria Oceani vitarentur.* Ammianus Marcellinus libro decimo quinto Rhenum deſcribit, & Pomponius Mela de origine Rheni: eleganter Guichardinus in deſcriptione Flandriæ, & de ejuſdem fluminis fonte Strabo antiquus autor accuratè ſcribit. Et Claudianus:

——ſublimis in arctum
Prominet Herciniæ confinis Retia ſilvæ
Quæ ſe Danubii jactat Rhenique parentem.

Sed ante hos omnes Cæſar vixit, à quo pons in Rheno factus eſt, vt ipſe tradit lib. 4. quem pontem

postea rescidit. Eodem libro vnde oriatur sic explicat. *Rhenus oritur ex Lepontiis, qui Alpes incolunt, & longo spatio per fines Antuatium Helvetiorum, Sequanorum, Mediomatricum, Trevirorumque citatus fertur, & vbi Oceano appropinquat, in plures diffluit partes, multisque ingentibus insulis effectis, quarum pars magna à feris barbarisque nationibus incolitur: ex quibus sunt qui piscibus atque ovis avium vivere existimantur, multisque capitibus in Oceanum influit.* MOSELLA.

Gallia olim protendebatur vsque ad Rhenum, vnde Ausonius ait: *Et Rhenum Gallia limitis esse loro.*

De Treveri Cæsar ait libro sexto: *Hæc civitas longè plurimi totius Galliæ equitatu valet, magnasque habet copias peditum.* Rhenumque, vt supra demonstravimus, tangit, sed progressu temporis Gallis dictum est; *Veteres migrate Quirites*, cùm lingua hodie & moribus Gallia à Germanis differant.

Arduenna sylva est totius Galliæ maxima, atque à ripis Rheni finibusque Treuirorum ad Ner-

MOSELLA.

uios pertinet, millibusque amplius quingentis in longitudinem patet. Sylva eadem ingenti magnitudine per medios fines Treuirorum flumine Rheno ad initium Remorum pertinet. Hi duo loci de Arduenna ex Julio Cæsare à nobis descripti sunt. Ex Epistola Petrarchæ ad Joannem Columnam, quæ est. 4. libri primi de Rebus familiaribus, ad secundum Kalend. Iulias, inquit: *Colonia discessi, tanto sole ac pulvere, vt sæpe Alpinas niues, ac frigora Rheni à Virgilio requirerem. Inde Arduennam sylvam scriptorum testimonio pridem mihi cognitam, sed visu atram atque horrificam transiui solus, & (quod magis admireris) belli tempore, sed incautos, ut aiunt, Deus adiuuat.*

Mosellam autem Fortunatus libro decimo Carminum feracem, & Rhenum spumantem appellat his versibus:

Tum venio, quà se duo flumina conflua iungunt,
Hinc Rhenus spumans, inde Mosella ferax.

Armoricus poëta Philippidos libro decimo de Lotharingis loquens, de his duobus fluminibus: Mosella.

Quos inter Gallos & Theutonicos speciosa
Et fœcunda magis tellus alit vbere glebæ,
Millibus à Mosa distans, vbi Mosula paucis
Leucos & Methes speciosis irrigat vndis.

In Chronico Besuensis Monasterii apud Lingones Ornæ fluvii mentionem fieri video his verbis: Orne, r.

Anno decimo sexto regni sui Theodoricus mouet exercitum, & Lingonis de vniversis regni sui provinciis mense Maio exercitus adunatur, dirigensque per Andelaum, Nasio Castrum super Ornam fluvium situm, & inde Tullum civitatem perrexit. Andelau. Nas.

Andelaum Campaniæ est, Nasium olim vrbs gentis Barrensium. Sigebertus de illustribus Ecclesiasticis scriptoribus, *Leo*, inquit, *ex Episcopo vrbis Leucorum, quæ & Tullus appellatur, nonus huius nominis Papa Romanus.* Tullo inter alia oppida diœceseos annumera- Thoul.

MOSELLA. *Nancy.* tur *Nancium*, Ducis Lotharingiæ ſedes præcipua, eademque munitiſſima. Denique fluvius Moſella clariſſimam vrbem *Mediomatricum*, cui Rex noſter imperat, alluit, progreſſuſque longiùs excurrit in Rhenum.

Rhodanus, Arar, Iſara, & Druentia.

RHODANVS *Le Rhoſne, r.* ARRO in tribus primis Europæ fluviis *Rhodanum* poſuit, vt Gellius cap. ſeptimo libri decimi teſtis eſt. De eo flumine Vibius Sequeſter ait: *Rhodanus Galliæ Lugdunum & Avenionem decurrens, atque Arelatem mari Thyrreno miſcetur.* At Julius Cæſar libro primo Commentariorum de bello Gallico: *Lacus*, ait, *Lemanus in flumen Rhodani influit*: quod veriſſimè ab eo ſcriptum puto, vt ab Auſonio hunc verſum.

Quà rapitur præceps Rhodanus genitore Lemano.

Etsi Gregorius Turonensis libro primo de Gloria Confessorum cap. 76. ita scripserit de Lemano, deque Rhodano. *Lemanus lacus*, inquit, *per quem Rhodanus influit, extenditur in longitudine quasi stadiis quadringentis, in latitudine verò stadiis centum quinquaginta.* Quid autem per stadia intelligat Gregorius, ipso expositore vtar; loquens enim libro sexto cap. 46. de Calla monasterio Virginum in agro Parisiensi, ait locum ipsum distare à Lutetia stadiis quasi centum. Et stadium centum viginti quinque passuum esse, Gellius affirmat. Gregorii verba sunt. *Chilpericus ad villam Calensem quæ distat ab vrbe Parisiaca quasi centum stadiis, accedit, ibique venationes exercet.* Nunc autem à Lutetia Calam vsque quatuor leucas spatii esse dicimus. Eodem loco de Gloria martyrum hæc verba etiam adjicit. *In hoc stagno ferunt truttarum piscium magnitudinem vsque ad centum librarum pondera trutinari.* Stagnum vocat lacum Lemanum, quo sensu Romani scriptores, vt Mela

RHODANVS

RHODANUS. *Le lac du Bourget.*

& alii, stagna Volcarum dixere. In *Lacus Burgite*, qui Rhodano proximus est, & Altæcumbæ monasterio ordinis Cisterciensis, vidi captam tructam ponderis octoginta librarum, quam conuiuæ, quorum vnus fuit ab Alphonso Delbenio Episcopo Albiensi prandio excepti hilariter comedimus. Ac ne quis dubitandi occasionem habeat, Rhodanum influere in lacum Lemanum dicimus vt nomen non amittat, permixtusque illi pereat. Erumpere enim Rhodanum è lacu, & in mare Mediterraneum decurrere compertum est. Cæsar eodem libro: *Inter fines Heluetiorum & Allobrogum Rhodanus fluit, isque in nonnullis locis vado transitur, & lacu Lemano & flumine Rhodano qui prouinciam nostram ab Heluetiis diuidit.* Et alibi: *Sequanos à prouincia nostra Rhodanus diuidit.* Quod nomen Prouinciæ accipiendum est pro eo tractu terræ cui Romani soli præerant, & in quo iurisdictionem suam exercere poterant. Hilarius Latinæ eloquentiæ Rhodanus appellatur ab

Le lac de Geneue.

Hieronymo præfatione secundæ ad Galatas. Hoc flumen ripas rodit, dictumque à rodendo Petrarcha existimauit, apud Carpentoracte educatus puer, adultus apud Clausam vallem, & Sorgiam Regem fontium, vt ipse loquitur. Quintus Sertorius ciuis Romanus eum traiecit armatus, quod Plutarchus gravis scriptor in vita eius annotavit. Describitur autem ab Ammiano, qui eum rapidum esse ait, à Paulo Jouio diligentissimo scriptore Alpium & fluviorum qui in eis oriuntur. Et nobilissimus quoque fluviorum Rhodanus ab Eusebio dicitur his verbis: *Oppidum Rhodani Coloni Rhodiorum locaverunt, unde amnis Rhodanus nomen accepit*, vt Hieronymus in Epistola ad Galatas tradit. Et idem Eusebius lib. quinto capite quinto: *Galliæ vrbes sunt facilè principes, & quæ præter cæteras omnium sermone præstare dicuntur, Lugdunum & Vienna, per quas vtrasque Rhodanum fluvium pertransire ac præcipiti cursu per vniversam Galliam ferri constat*. In principio mer-

RHODANIS.

RHODANVS

catus qui hîc celebrari solet, quique est propter frequentiam hominum ex omnibus eò gentibus commeantium. Polybius quidem libro tertio, *Rhodanus*, ait, *tribus fontibus surgit supra maris Adriatici intimum sinum, seque per medium iter agens egreditur* (quæ verba sententiam nostram supra positam apertè confirmant) *& inde in occidentem ablatus aliquandiu Gallias dirimit, post cursu versus meridiem adducto defluit in mare Sardonium. Id à Sardinia insula nomen accepit.* Deinde adjicit Alpes à Massilia incipientes vsque ad intimum maris Adriatici sinum protendi. Illud quoque Polybii est, *cui propterea Insulæ nomen inditum, quod ibi Arar Rhodanusque ex Alpibus decurrentes aliquantum agri amplexi defluunt in vnum.* Eodem libro Polybius, *Europæ præcipua pars*, inquit, *Septentrionem spectat vltra Thanaim & Narbonem fluvium, qui non longè distat ab ora Massiliæ, à Rhodani ostiis quæ in Sardonium defluunt mare. Hanc omnem regionem habitant Galli à Narbone vsque ad*

Pyreneum montem, extenditurque à mari nostro ad Oceanum. Quo loco Polybius per Narbonem fluvium intelligit Atacem ex Pyreneo monte digressum, deinde Narbonem vsurpat pro vrbe Narbonensi. *Hannibal trajecto Rhodano in Volcis, qui sunt è regione Provinciæ, quartis Castris ad Insulam pervenit. Ibi Arar, Rhodanusque amnis diversis ex Alpibus decurrentes, agri aliquantulum amplexi confluunt in vnum mediis campis quibus Insulæ nomen inditum.* Accolunt propè Allobroges, gens jam inde nulla Gallica gente, opibus aut fama inferior. Hæc Livius Decadis secundæ lib. 1. Isque locus confirmat quod à Strabone narratum scimus. Postremò à Silio Italico excellenti Poëta describitur libro tertio Punicorum: RHODANVS.

Aggeribus caput Alpinis, & rupe nivali
Prosilit in Celtas, ingentemque extrahit amnem
Spumanti Rhodanus proscindens gurgite campos.
At propere in pontum latè ruit inci-

RHO-
DANVS.

tus alveo,
Auget opes stanti similis, tacitoque liquore
Mixtus Arar, quem gurgitibus complexus anhelis
Cunctantem immergit pelago, raptumque per arva
Ferre vetat patrium vicina ad littora nomen.

Hos de Arari versus veros esse dicet, qui locum illum Cæsaris ex lib. 1. de bello Gallico legerit. *Flumen est Arar, quod per fines Heduorum & Sequanorum in Rhodanum influit incredibili lenitate, ita vt oculis, in vtram partem fluat, judicari non possit.* Rhodanum quoque esse auriferum vt pleraque Galliæ flumina curiosi scient, & qui aurum legunt in hoc flumine hac ratione illud purgant, arenæ culeo agitatæ hydrargiro superinfuso, & mox adusto, quod fuit repertum elucescit. Hic pauci versus quorundam poëtarum in laudem Rhodani atque Ararisinserendi sunt; ac primùm ordiemur à versu Ligurini poëtæ:

Chrisopolim placidam dubius perlabitur

per Flumina.
bitur amnis
Maximus Allobrogum Rhodanus
dominator aquarum.

RHODANVS.

Glaber capite primo lib. 5. *In civitate Chrysopoleos, quæ vulgò Vesuntio vocatur, id est aurea civitas.* Extremum oppidum Allobrogum proximumque Helvetiorum finibus *Geneva* est, ex oppido pons ad Helvetios pertinet. Genevam inter oppida Allobrogum numerari certum est, apud quam propter Lemanum lacum, vt supra diximus, Rhodanus intumescit. De quo Rhodano & Arari Poëta etiam canit:

— Rhodanus raptum velocibus vndis
In mare fert Ararim.

Sidonius magnam partem fluviorum Galliæ vno aut altero versu complectitur carmine quinto:

——— Sequana, Ledus,
Rhenus, Arar, Rhodanus, Mosa, Matrona,
Clitis, Elaver, Vahalis.

Et Fortunatus in vita S. Martini:

Largior Eridano, Rhodano torrentior amplo,

RHODANVS.

Uberior Nilo, generoso sparsior Histro.

Et libro secundo:

Rhenus, Arar, Rhodanus, Tybris, Padus, Hister, Orontes;
Quod mare, terra, polus, pisce, alite, fruge ministrat.

Ausonius de Garumna & Rhodano:

Testis Arar, Rhodanusque celer, magnusque Garumna.

Libro decimo Epistolarum familiarium Marci Ciceronis Plancus ait: *Cum exercitu meo à Confluente Rhodano castra movi.*

Communia verò testimonia de Arari & Rhodano Claudiani Poëtæ proferam. In Eutropium quidem:

Acarium pelagus Michalæaque littora juncti,
Marsya, Meanderque petunt, sed Marsya velox
Dum suus est, flexuque carens, jam flumine mistus
Mollitur Meandre tuos contraria passus
Quàm Rhodano stimulatus Arar.

In Rufinum 2.

Inde truces flauo comitantur vertice Galli, RHODANVS.
Quos Rhodanus velox, Araris quos tardior ambit,
Et quos nascentes explorat gurgite Rhenus.

Idem Claudianus:

Diversoque tuas celebrarunt gurgite voces
Lentus Arar, Rhodanusque celer, & dives Iberus.

Ac ne plura Poëtarum testimonia congeram, *vmbrosis ac gelidis in vallibus, quas rupes Alpium angustat, & quas parvus adhuc Rhodanus secat, unde regio ipsa Vallensis vulgo dicitur.* Petrarcha Ep. 8. lib. 5. rerum senilium ad Joan. Bocatium. Nec à Vallensibus ad Lepontios, vbi Rhodanus oritur, progressuri sumus: nihil enim necesse est.

Genevæ autem infra oppidum Rhodanus ligneum pontem habet, & *Lemanus* lacus procurrit in longitudinem leucarum quatuordecim versus Veragros, ubi est *Agaunum* martyrum Mauritii & Thebeorum illorum memoria nobile, *S. Mauritius en Chablois.*

RHODANVS. & in decem tantùm verſus Antuates ſive Vaudios : in latitudinem verò in quatuor duntaxat : ſed quà maxima eſt latitudo inter *Conchias* & *Morgem* anguſtus eſt , & in ripa quæ ad Chablaſios pertinet, vicus eſt ejuſdem cum *Lemano* cognomine, aquam perpetuò effundens. Genevenſes etiam non procul à mœnibus alium in arva pontem quoque ligneum habent, antequam Rhodano permiſceatur. Is è *Fulcinatium* jugis dilapſus imbribus hibernis intumeſcere eſt ſolitus, adeóque inflari, ut ſe ipſe non capiat. Quod autem ad ripas Lemani attinet, eas nonnunquam glacie aſtringi compertum eſt, atque inſtitores qui beſoliam piſcem lavaretio perſimilem capere in eo ſolent, pro eo qui eſt piſcium ſaluberrimus, imperitis ſtultiſque emptoribus exponunt.

IDANVS.

IN superiori Burgundia, quæ Comitatus nomine gloriatur, & Sequanorum appellatione se illustriorem putat, *Idanus* fluvius prope vrbem Nozaretium surgit, ac parte Sequanorum decursa ingreditur vltra *Montem Jovis Bressiam* regionem, illamque in partes duas secat apud Idanum oppidum, pontemque nominis sui postea incredibili penè numero rivorum jam collecto in Rhodanum labitur, non minorem aquæ secum trahens copiam, quàm rapidus ille fluvius facit. Hæc de Idano tradit Gilbertus scriptor diligens, idemque, vt ait, Nozaretii natus. *Bugesi* autem vsque ad Idanum procurrunt, qui *S. Eugendi Jurensis* parochiam abluit proximam insigni Cœnobio D. Claudii Vesuntionum Archiepiscopi. Et quamvis altissimi montis Juræ radices subluat, non tamen ab eo oritur, vt ostendimus;

Ain, r.
la Bresse.
Pont d'In.
Bugé.
S. Oyan du Iou.
le Mont S. Claude.

RHODANVS. verùm crates lignorum è sapineis sylvis ad Rhodanum, in quem influit, deducendas suscipit. Sebusiani quoque, qui videntur, dicti quasi Savosiani; parent *Burgo* matri vrbium totius regionis; quæ etsi in vliginoso solo sita est ac palustri, munitissima tamen habetur ac vicina pulcherrimo Virginis templo ordinis S. Augustini à Marguareta Flandrensi exædificato. Cæsar lib. 1. Comm. de bello Gallico: *Ab Oscello, quod est citerioris provinciæ extremum, in fines Vocontiorum vlterioris provinciæ die septimo pervenit. Inde in Allobrogum fines, ab Allobrogibus in Sebusianos exercitum ducit.* Mons Jura altissimus est inter Sequanos & Helvetios. Cæsar eodem libro: *Mons Jura fines Sequanorum ab Helvetiis dividit.*

Bourg en Bresse.

ARAR.

DE Arari Virgilius maximus poëtarum, qui Augusto Cæsare vixit, res quæ per naturam fieri possunt designans, ait: La Saône, r.

Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tygrin.

Seneca verò, qui Tyberio Cæsare floruit, de Rhodano & Arari sic loquitur in ludo, vel apotheosi Galliæ.

Vidi duobus imminens fluviis iugum,
Quod Phœbus ortu semper obverso videt,
Ubi Rhodanus ingens amne prærapido fluit,
Ararque dubitans quo suos cursus agat.
Est-ne illis tellus spiritus altrix tui?

Herculis hæc ad Claudium Cæsarem verba sunt apud Senecam.

Cornelius Tacitus Annalium lib. 13. *Vidi*, ait, *conatum Lucii veteris Mosellam & Ararim iun-*

ARAR. *gere cupientis : vetus Mosellam atque Ararim facta inter vtrumque fossa connectere parabat, vt copiæ per mare, deinde Rhodano & Arari subvectæ, per eam fossam mox fluvio Mosella in Rhenum, exin Oceanum decurrerent, sublatisque Hinerum difficultatibus, nauigabilia inter se Occidentis Septentrionisque littora fierent.* Ammianus libro decimo quinto. *Arar*, inquit, *quem Saucona appellant, inter Germaniam primam fluit.* Quæ vox (primam) interpretabitur locum hunc Vibii Sequestri: *Arar Germaniæ fluvius è Vogeso monte miscetur Rhodano, qui ita leuè decurrit, vt vix possit intelligi decursus eius.* Hoc sequutus verba Cæsaris dixit. At Strabo ait Ararim ex Alpibus labi. Idem Polybius, idem Liuius. Strabonis hæc quoque sunt libro quarto. *Arar dirimit Heduos a Sequanis*; atque inter Dubim & Ararim Heduos habitare dicit. *Alpes*, inquit Liuius, *sunt altitudines montium.* Nihil ergo interest siue dicant Ararim è Vogeso monte labi, siue ex Alpibus. Hic fluvius Lugdunum

interluit, vbi, sicut Suetonius ait in Caligula, Claudius natus est, Julio Antonino Fabio Africano Coss. Kal Augusti, eo ipso die quo primùm Ara ibi Augusto dedicata est, appellatusque Tiberius Claudius Drusus. Juuenalis poëta de eadem Ara loquitur cùm ait: ARAR.

Aut Lugdunensem Rhetor dicturus ad Aram.

Qui enim vt id facerent se offerebant, in profluentem Ararim dejiciebantur, quæ metuendi causa erat. *Sub Tiberio verò Galliarum ciuitates ob magnitudinem æris alieni rebellionem captauere, cuius stimulator acerrimus inter Treuiros fuit Julius Florus, apud Heduos Julius Sacrouir. Item haud fermè vlla ciuitas intacta securibus eius mali fuit, sed erupere primi Andegavi ac Turoni, quorum Andegauos Acilius Auiola legatus, excita cohorte quæ Lugduni præsidium agitabat, coercuit. Turoni legionarios remiserunt, quos Visselius Varro Germaniæ legatus miserat, oppressi eodem Auiola duce & quibusdam Galliarum primoribus,*

ARAR. *qui liberè auxilium per dissimulationis defectionem magisque illius tempore efficerent.* Hæc Tacitus Annalium lib. 3. Et rursus, *Romæ*, inquit, *non Treueris modò & apud Heduos, sed quatuor & sexaginta Galliæ civitates defecisse creditum est.* Lugdunum incensum Nerone imperante Seneca epistolâ 91 memoriæ tradidit. *Nunciato incendio quo Lugdunensis Colonia exarsa est, vna nox interfuit inter vrbem maximam, & nullam.* Sed illa ætate Lugdunum erat in colle situm admodum eminenti loco atque arduo cis Ararim, vt ex versibus Senecæ supra diximus. Et Lugduni mentio fit ab Herrico Altissiodorensi monacho libro quarto cùm ait:

In Lugdunenses æquis processibus arces
Vexit Arar Rhodano se se sub mœnibus abdens,
Lugduno celebrant Gallorum famine nomen
Impositum quondam quod sit mons lucidus idem.

Et reuera à Lucio Numantio

Planco coloniam ductam puto, quæ idcirco *Luciodunum* à tam nobili ciue Romano dicta sit voce postmodum corrupta, cùm pro Lucioduno Lugdunum dici cœpit. Quæ corruptio in marmore & antiqua inscriptione visitur in vestibulo Ecclesiæ Diui Stephani, vbi Lugdunum scriptum est pro Lucioduno. Nam quis mihi persuadeat Lugdunum aliquem fuisse? L. *nihil præponi de suspectis tutoribus. ff.* & *ff.* Julianus ait: *Imperator Adrianus Britasio Pollioni legato Lugduni in hæc verba rescripsit: Marcus quamvis filius familias sit, tutor idoneus esse videtur. Idcirco curare non vult vt filium suum tutela eximat, & in hoc artificio perseueravit. Existimo te huic fraudi rectè occursurum, ut & filius & ipse ad tutelam liberorum decreto gerendam compellantur.* Et l. Lugdunenses Galli, item Viennenses & Narbonenses Juris Italici sunt, vt à Paulo Jureconsulto dici videmus. l. Paulus de censibus. ff. vt de Titiano & Schola municipali apud Lugdunum men- ARAR.

ARAR tionem fieri ab Auſonio in actio-
ne gratiarum ad Cæſarem nomine
Gratianum, & Antonii nobilis
Philoſophi, qui in ea vrbe Maiolum
Cluniacenſium Abbatem, egre-
giumque virum Philoſophum do-
cuit, vt in eius vita legimus. Ex-
cellens de Martyribus ſub Anto-
nino Vero Lugduni paſſis, vbide
Lugduno & de nundinis foroque
& mercatoribus agitur, apud Eu-
ſebium Cæſarienſem locus repe-
ritur. Sidonius epiſt. 5. lib. 1. ad
Heronium poëtam excellentem,
ad quem etiam miſit Panegyricum
ad Antemium Cæſarem, Lugdu-
num vocat *Rhodanuſiam* ſuam, pro-
pter Rhodanum flumen, ad quod
publicæ hoſpitales domus inſtitutæ
ſunt liberali mercatorum ciuium-
que munificentia; fortè ob nebu-
las Lugdunenſes, de quibus extat
epiſtola eiuſdem Sidonii ad Can-
didianum eodem libro his verbis:
*Morari me Romæ congratularis,
illud tamen quaſi facetè, & fatim
gnatorum ſalibus admixtis. Ais enim
gaudere te, quòd aliquando neceſſa-
rius tuus videam ſolem, quem vi-*

que rarò bibitor Araricus inspexerim. Nebulas enim mihi meorum Lugdunensium exprobras, & diem quereris nobis matutina caligine obstructum vix meridiano feruore reserari. Episcopi verò Lugdunenses hi quidem excelluere, Hireneus, cuius opera Græca quidem non habemus, sed in Latinam linguam conversa antequam Hieronymus scriberet, ac de Rhodano eum loqui scimus. S quitur Eucherius, quem epistola ad Valerianum cognatum plurésque libelli & Homeliæ immortalem reddiderunt. Postea Patiens in eadem sede floruit, à Sidonio epistolâ 12. libri sexti mirificè laudatus. Idem autor epistolâ 3. libri 9 ad Faustum Reiorum Episcopum, cuius vrbis & Ecclesiæ sacra superi spiciebat, ait, *se auditorem eius fuisse tunc præcipuè cùm in Lugdunensis Ecclesiæ dedicatæ festis hebdomadalibus collegarum sacrosanctorum rogatu exorareris, vt perorares. Ibi te inter spirituales regulas vel forenses medioximum quidem concionantem (quippe vtrarumque doctissimum disciplinarum) pa-*

ARAR.

ARAR. *riter erectis sensibus, auribusque curvatis ambiebamus: Hinc parum fastitantem desiderio nostro quia iudicio satisfeceras.* Ad tertium Idus Septembris Usuardus de eo ait; *Lugduni depositio sancti Patientis Episcopi.* Quartus Laidradus, cuius epistolam super obitu sororis antea publicauimus. Quintus Agobardus, cuius opera nuper edidimus, alioquin peritura, si in me vindicem non incidissent. Sextus Remigius. Eius doctissimi Theologi liber MS. à gente Tilliorum Lutetiæ seruatur. Bonaventura & Gerso insignes Theologi, alter in æde Francisci apud suos, alter in Templo Laurentii sepultus iacet. Pontificum autem Romanorum Innocentius IV. & Gregorius X. Lugduni Concilia habuere. Clemens V. in templo Justi, & Joannes XXII. in Joannis Baptistæ augustissima & cathedrali Basilica coronati sunt. Sed iustum & sanctum Pontificem Caluiniani non tulere, euerso dirutoque eius templo, cùm bellorum ciuilium exitia & calamitates Gallia pate-

retur. Hîc iterum de attributis Arari dicendum est, proposito Silii Italici poëtæ versu ex libro 15. de bello Punico. ARARIS

——*Rhodani qui gurgite gaudent,*
Quorum serpit Arar per rura pigerrimus vnda.

Et in opusculo laudis Domini facto apud Heduos:

——*Stagnanti perlabitur agmine ripas*
Tardus Arar, pigrumque diu vix explicat amnem.

Et Theodulphus Aurelianensis Episcopus ad Modoynum Pontificem Heduorum ait de vtroque fluuio:

Circa Ararim pigrum, Rhodanumque rapacem.

Et veterum testimonio de Arari deque Rhodano adjiciemus hunc singularem, vt opinor, nec omittendum Eutropii locum. Is libro 6. *Cæsar*, ait, *primò vicit Heluetios, qui nunc sequani appellantur.*

Arar flumen in Rhodanum fluens.

VOVGE VOgesi nomine nemo putet eum montem, qui est in finibus Lingonum, solùm contineri, sed adjiciat regionem proceris arboribus sylvisque cæduis munitam, vnde rivos plures oriri fama est & quatuor flumina, patereque eam in circuitu centum Gallici generis leucas. *Arar* igitur surgit in confinio Lingonum, Mediomatricum, ipsiusque Lotharingiæ: ac decursis aliquot vallibus, exiguum oppidum *Arnoyum* alluit, & superiorem Burgundiam Sequanorum ingreditur, atque *Jonvelliam*, ipsius municipium irrigat, acceptisque septem aut octo fluviolis, labitur versus pontem ab ejus nomine appellatum, fluitque circa *Grayum*, arcem gentis Sequanorum, quæ instar propugnaculi illis est adversus Lotharingiam & regnum Francorum, vnde se effundit in Bur-

Arnoye.

Iouvelle.

Gray.

gundiam inferiorem, cui Ducatus nomen est. In duas partes finditur, vt insulam faciat, claudatque in eo *Pontem Arliciorum*, primæ vrbis inferioris Burgundiæ, quod nomen pro Heduis illi tribuitur à superventu Burgundionum è Germania. Distat autem à Grais quatuor leucis secundùm morem regionis illius sumptis, & ligneum pontem habet. Descriptum est id oppidum ab Armorico Poëta Philippi Augusti Regis Galliæ. Inter Arlicios & Assonam visitur fluvius *Vencella*. Is in medio cursu absorbetur, postea erumpit, atque in Ararim labitur. Hispaniæ fluviolo persimilis, qui *Anas* à Mela dicitur. *Assonam* verò vrbem in ripa Sequanorum sitam Arar alluit, quam Ludovicus XI. pace cum Sequanis facta vnivit Burgundiæ Gallicæ, id est in posterum suæ. Nec Assona sola cessit, verùm etiam Sancti Laurentii vicina Jurisdictio vicos atque oppidula aliquot complectens. Est Assona parva quidem vrbs, sed dives ob portum navigabilis fluvii, onera mercimoniorum sine pericu-

ARAR.

Pont Arlier.

Vencella r.

Aussona

ARAR. lo & damno vehentis. Caſtellum quoque egregiè munitum ac longum pontem habet, diſtantem à Divione quinque aut ſex tantùm leucis, à *Dola* Sequanorum primaria vrbe tribus: eſtque in ea Senatus Comitatui Burgundiæ ſuperioris imperans, ſicut Divionenſis Heduorum provinciam univerſam, id eſt totum Ducatum Burgundiæ regit in vrbe ampliori quàm ſit Dola. Poſtmodum Arar quinque quoque fluvios accipit, *Tyliam*, *Beſuam*, *Oſcharum*, *Suſionem*, *Navigennam*, de quibus ſeparatim mihi agendum puto. In Chronico Beſuenſis, Monaſterii, quod abeſt à Divione quinque tantùm leucis, & cujus Glaber Hiſtoricus lib. 4. cap. 6 mentionem facit, hæc verba de Beſuæ & Tylæ fluviis in Ararim influentibus reperi, quæ ſubjicio. *Eſt locus inter fluvium Araris vel Sagunnæ, & fluvium quem Tylam vocant, ab emergente ibidem fonte non modico, qui Beſuus dicitur, dictus & ipſe Beſua. Fons eſt ipſe limpidiſſimus, ad potandum habilis, ac multimoda piſcium copia fertiliſſi-*

Dole.

La Tylle, r.
Beſué, r.
Ouſche, r.
Suſon, r.
Navigenne, r.

mus, nec sicut alii fontes, qui plurimi, decurrendo & augmentando nomen accepit fluvii: sed ibidem vbi oritur, præ magnitudine flumen dicitur. Nascuntur in eo diversi generis herbæ, quæ si frugum alimonia minùs abundaverit, pauperibus subsidium præbeant vitæ. Sicque fons iste totius sui irrigans confinia, ad omnia quæcunque ibi seruntur vel coluntur confruenda loca reddit habilia. Terra satis opima, & nisi desit qui laboret, frugum feracissima: prata quoque sunt abundè, quibus possunt nutriri pecora, & supplerí alia quæque privata necessaria. Sylvas habet in procinctu locus, & contiguas, quæ ad construenda ædificia, seu ad omnia quæ generi humano necessaria sunt sufficiant. Talem igitur locum Amalgarius Dux Deo & sanctis ejus Apostolis Petro & Paulo dignum duxit offerre, & sub manu filii sui Waldaleni, Monachos, qui ibi Deo & Sanctis ejus deservirent sub regula Beati Columbani, studuit aggregare. Quid plura? Waldalenum Abbatem ibi præfecit. Tyla amnis longo circuitu flexuque fa-

ARAR.

La Tille, r.

ARAR. cto per *Solducium*, *Iſidem & Caſtellum* ſuper Tyla accipit Beſuenſis fontis rivulum, priuſquam in Ararim labatur. Innocentius III. Epiſtolarum Decretalium lib. 1. Alberto Beſuenſi ſcribens: *Quia*, inquit, *Beſuenſis Eccleſia pro incendio quod ſuſtinuit, ad tantam devenit inopiam, ut Monachis & confratribus tuis ad obedientias Cluniacenſes pro vitæ ſuſtentatione tranſmittere, & aliquot de Monachis Cluniacenſibus ad Eccleſiam tuam pro reformatione & conſervatione ordinis convocare, donec Eccleſia tua reformetur.* *Oſcara* fontem habet ſeptima aut octava ſupra Divionem præclaram vrbem Diœceſis Lingonenſis leuca ſurgens, continuatoque curſu miſcetur Arari apud *Laudnan ſancti Joannis* à nomine Prioratus ita dictam, diſtantemque à Divione quinque leucis. Appendix ad Gregorium Turonenſem narrat Flauchatum adverſo Arari veniſſe à Cabilone civitate vſque Lodonam S. Joannis oppidum his verbis: *Flauchatus vexatus febri è vectu navali per Ararim fluvium qui cognomina-*

Ouſche, r.

S. Iean de Laune.

tur Saugena, Laudonam properans, itinere emenso mortuus sepultusque in Ecclesia sancti Benigni in suburbiis Divion. Susio, rivulus, vel potiùs torrens non perennis oritur apud altissimam vallem Susionis tribus milliaribus supra Divionem, eamque vrbem intus percurrit, misceturque Oscharæ, extra eam progressus, de quo vulgo dicitur

ARAR.

——— *Suson*
Quelque jour noyera Dijon.

Quæ vrbs depingitur à Gregorio Turonensi lib. 3. cap. 19. *Erat tunc & beatus Gregorius apud vrbem Lingonicam magnus Dei sacerdos, signis & virtutibus clarus. Sed quia hujus Pontificis meminimus, gratum arbitratus sum, vt situm loci Divionensis, in quo maximè erat assiduus, huic inseram lectioni. Est autem castrum firmissimis muris, in media planicie & satis jocunda compositum, terra valde fœcunda, ita vt arvis semel scissis vomere semina jaciantur, & magna fructuum opulentia subsequatur. A meridie habet Oscarum fluvium piscibus valde prædivitem. Ab Aquilone verò alius*

ARAR. *fluviolus venit, qui per portam ingrediens, ac sub ponte decurrens, per aliam rursus portam egreditur, totum munitionis locum placida vnda circumfluens. Ante portum autem molendina mira velocitate divertit. Quatuor portæ à quatuor plagis mundi sunt positæ: totumque ædificium trigintatres turres exornant: murus verò illius de quadris lapidibus usque in viginti pedes desuper è minuto lapide ædificatur, habens in altum pedes triginta, in latum pedes quindecim. Quæ cur non civitas dicta sit, ignoro; habet enim in circuitu preciosos fontes: à parte autem Occidentis montes sunt vberrimi, vineisque repleti, qui tam nobile incolis falernum porrigunt, vt respuant scalonum. Nam veteres ferunt ab Aureliano hoc Imperatore fuisse ædificatum.* Aimoinus historicus multò post Gregorium de Divione, deque duobus fluviis ita loquitur cap. 24. lib. 2. *Erat tunc temporis Beatus Gregorius Lingonicæ vrbis Præsul summus. Sed quia hujus Pontificis meminimus, dignum est vt situm Divionensis Castri, vbi maximè orabatur pandamus. Est denique illud*

castrum in campi planitie maris firmissimis circundatum, turribus triginta tribus honestatum, terras habens fertiles, per quas à meridie Oscarus haud prosul à muro fluit piscibus dives: ab Aquilone alter fluvius per portam ingreditur, ac sub ponte decurrens, perque aliam portam egrediens, molendina summa vertit velocitate. Murus ad viginti pedes quadratis ædificatus lapidibus, desuper minores superpositos habens lapides, in altitudinem pedibus triginta, in latitudinem quindecim porrigitur. Portæ ibi quatuor à quatuor plagis cœli. Quod cùm tantæ sit magnitudinis, cur vrbis vocabulo caruerit, mirum habetur. Hoc idem ab Aureliano Imperatore constructum antiquitas asseruit. In vita Gregorii Turonensis hæc legi: *Quondam effectum est vt ad venerabilem matrem suam in Burgundia properaret, in sylvis verò abiegnis quæ trans Verberim fluvium sitæ sunt, latrones incurrit.* Hic autem locus opinor ita legendus, vt Ararim non Verberim dicamus; error enim exscriptorum est, quem propterea nolo auctoribus adscri-

ARAR.

ARAR. *Cisteaux.*

bere. *Cistercium* Monasterium, caputque Ordinis sui exædificatum est mediis in sylvis ex lapide curribus eò vecto importatoque à novem ferè leucis, mirumque est quomodo tantus acervus lapidum eò trahi potuerit, cùm nullus ibi validus amnis sit, sed solus rivulus qui in *Valgiam* amnem defluit, & Valgia ipse in Ararim influit. Cæsarius Monachus illius ordinis hæc ait lib. 10. Miraculorum. *Apud Cistercium, ubi caput est ordinis nostri, plurimæ nidificant ciconiæ, quod ideo à fratribus religiosis permittitur, quia per illas non solùm Monasterium, sed omnia in circuitu loca ab immundis vermibus mundantur, hyeme appropinquante recedunt, & tempore certo redeunt. Die quadam cùm acies suas ordinassent ad peregrinandum, ne hospitalitatis concessæ immemores esse viderentur, conventum, qui eadem hora in agro laborabat, petentes, eumque crebriùs gruttilando circumvolantes, omnes in admirationem verterunt, ignorantes quid peterent. Ad quos Prior, Puto quod licentiam petant recedendi. Elevansque manum*

benedixit

benedixit eis. Mox mirum in modum cum multa alacritate simul avolantes, Monachis exeuntibus in viam, qui regularem benedictionem accipere sive expectare parvipendunt, magnam verecundiam incusserunt. De hoc etiam Monasterio Paradinus lib. de antiquo Statu Burgundiæ: *Monasterium Cisterciense in agro Belnensi, loco vliginoso & nemore vastissimo, à cisternis credunt sortitum nomen.* ARAR.

Surregium quoque habet ab vno latere Ararim flumen, eoque alluitur, ab alio palude munitur. *Thaero* rivulus est, qui oppidum ipsum interluit, & vna parte claudit abluendo. *Belna* verò Cabilonensis diœcesis ad Ararim sita fluviolum *Bursoriam* habet, qui in eandem labitur. Petrarcha adversus Galli nescio cujus calumnias negare non audet Belnense vinum suis temporibus in pretio apud Gallos fuisse, provt hodie quoque est, restatque vetus proverbium quod de eo vini genere dici solet. *Seurre.* *Therin. r.* *Bursure r.*

Vinum Belnense post omnia vina recense.

ARAR. *Verdun.* Exin *Verdunum* florens oppidum attingit in ripa quæ *Aſſoneſem* Vicecomitatum aſpicit. *Dubio* fluuius, qui Veſuntionem excellentiſſimam vrbem Sequanorum alluit, & *Dolam* interſecat, apud Verdunum in Ararim labitur. Deinde *Cabilinum* munitiſſimam vrbem Epiſcopatu ornatam alluit in ripa Heduorum. Habet & lapideum pontem, & in vita Marcelli ita ſcriptum legimus: *Sepultus eſt beatiſſimus martyr Marcellus ſecundo ab vrbe Cabilonenſi milliario, id eſt duobus paſſuum millibus.* Poſtmodum *Turnochium* Monaſterium Benedictini Ordinis, atque oppidulum ei adjunctum alluit: de quo Gregorius Turonenſis lib. 1. de Gloria Confeſſorum. *Apud caſtrum*, inquit, *Trinorcienſe quadrageſimo à Cabillonenſi vrbe milliario.* Quibus verbis exprimitur quantum abſit *à Cabilino*. Hodie enim diſtat ſex aut quinque leucis nimium longis.

Le Doux, r. *Dole.* *Chalon.* *Tournus.*

Grone, r. *Beaujeu.* *Grona* fluvius fontem habet in parochia *Avenaſii* regionis Bellijocenſium, ſub diœceſi Matiſco-

nensi. Surgit autem duobus ex ea locis, vnus apud *Calotios*, alter *Mansio sancti Perdulcis* appellatur, inde versus *Cluniacum* fluit in testamento Wilielmi cognomento Pii, Aruernorum Comitis, & Ducis Aquitanorum, qui anno Domini 910. Cluniacum monasterium instituit: eius mentio fit his verbis. *Res iuris mei SS. Apostolis Petro videlicet & Paulo de propria trado donatione, Cluniacum videlicet villam quæ posita est super fluvium qui Grauna vocatur, cum omnibus rebus ad ipsam villam pertinentibus. Quæ etiam res sitæ sunt in ciuitate Matisconensi vel circa suis vnaquæque terminis conclusæ.* Glaber Rodulphus Graunæ fluuii & Cluniaci monasterii instituti meminit in hunc modum: *Monasterium cognomento Cluniacum, in pago Matisconensi super Graunam fluvium ex situ eiusdem loci accliui atque humili tale sortitum est nomen, vel etiam quod aptiùs illi congruit, à cluendo dictum, quoniam cluere crescere dicimus; insigni quippe incremento diuersorum denorum in dies locus idem*

ARAR. S. Perdonæ.

ARAR. *obtinuit. Construxit igitur prædictum cœnobium primitus pater monachorum Balmensis monasterii (in superiore Burgundia locati) Berno vocatus, iubente Wilielmo piissimo Aquitanorum Duce.* Graona autem versus Septentriones fluere perseuerans, quarta parte leucæ à Cabillino influit in Ararim, loco cui portali Graonæ nomen est. Arar enim non contra Septentriones, vt Graona, sed versus Meridiem fluit. *Pineta* fluuius è Casellis lapsus prope *Romenaium* decurrit. Hæc parochia diœcesis Lugdunensis Episcopo Matisconensi olim tradita est, cuius fructus annui quingentos aureos quotannis ei afferunt, & qui ordines Ecclesiasticos appetunt, tenentur dimissorias literas ab Archiepiscopo Lugdunensi accipere. Parochia S. Mauricii vbi virentium pratorum copia est in diœcesi Matisconensi, distat duabus leucis à Turnochio monasterio ordinis D. Benedicti iuxta Ararim sito, in alia tamen diœcesi : ad Cabilonensem enim pertinet. Ad eiusdem parochiæ templum fluit riuus ad pontem

Pianette, r.

Romenay.

Taulinum, qui separat iurisdictionem Mauricinam ab Urinienſi Regii iuris, indeque verſus *Sallon* caſtrum properans in Ararim influit. Cuius templi chorus ex quadrato lapide exædificatus eſt, viſiturque tumulus Philippi Caprarii & Philibertæ Lugnienſis vxoris eius, eorumque filii matri cognominis. A caſtro Trinorcienſi quod Gregorius ſic appellavit, *Matiſconem* Arar fluendo peruenit, quæ eſt Epiſcopalis ciuitas Arari apposita, pontemque fornicatum habet. Tribus ferè milliaribus ab ea diſtat ſylva *Caſtanedi*: ita enim rem habere Glaber his pauciſſimis verbis oſtendit. *Eſt Eccleſia à ciuitate Matiſcone tribus ferè milliaribus diſtans in ſylva Caſtanedi ſita, ſine plebe ſolitaria, Sancto Joanni dicata.* Quo ex loco quantum ſpatii contineat longitudo cuiuſlibet milliarii, facilè eſt eritque colligere, atque æſtimare locorum diſtantiam. Exin Arar *Bellam-villam* fertur ita dictam à nomine monaſterii ordinis ſancti Auguſtini, quòd in fertili pinguique agro ſita ſit, non quòd

ARAR.

Mouge.

Mascõ.

Belle-ville.

ARAR. pulchra pluuio cœlo videri poſſit, propter lutum quod intra extraque eam viatoribus moleſtum ſit. Eam tenuis fluuiolus præterfluit, moxque in Ararim labitur, vt *Murgo* quoque amniculus *Villamfrancam* interluit, ſic dictam, quòd olim exempta eſſet tributis atque oneribus. In quo oppido ſitu eleganti ac pulchro, viaque intermedia tanta latitudine, vt ab vna porta oppidi oppoſitam facilè videas, primas literas Profeſſore Petro Godofredo Trecaſſino feliciter didici, procurante auunculo matris meæ Antoninæ, fratre æditiuo S. Stephani in Eccleſia Lugdunenſi, cuius memoriam diligenter conſeruare debeo, faxintque ſuperi vt probus ille vir cognomento Philibertus Girinetius, molliſſimè quieſcat. Inter hoc oppidum & *Anſam* vetus municipium non ignotum Iuoni Carnotenſi, duo ſunt paſſuum millia, & quod excurrit: quo ſpatio nihil ad oblectationem gratius eſſe poteſt, & iuxta Anſam, *Aſergius* præceps ac nocens, periculoſuſque torrens præ-

Mourgon, r. Ville-Fräche.

Anſe.

Aſergue, r.

ſertim hyeme, viatorum moleſtias auget, atque in Ararim ſe effundit, verumque videtur eſſe quod de torrentibus Poëta ait: ARAR.

——— *per ſaxa citati*
Torrenteſque ruunt.

Aſergii ortus debetur ſylvæ *Aioniæ*, à Claveſolis ſaxeum pontem *Guilermeriæ* habet, deinde *Chameletum* oppidulum, poſtea *Tanneium* locum nobilitatis, familiæque Caprariorum alluit. *Suena* verò rivus incipit apud S. Apollinarem, decurritque *Volſonnam* & *S. Clementem* vicos, ubi hi duo amnes concurrunt, & quilibet eorum lapideum pontem oſtendit, quos *Tareſios* vocant Longiùs progreſſi ad duos rivos veniunt, vbi eſt Prioratus virginum ſacrarum ordinis S. Benedicti, *Aſeiumque* oppidulum & *Maſilliacum*, vbi neceſſe eſt navicula fluvium præterire, *Anſam* vetus municipium in epiſtolis Ivonis Carnotenſis memoratum, *Varennas* apud quas fluvius iterum ſembo trajicitur, poſtremò in Ararim præceps ſe effundit. A pede autem montis *Taratri* vſque ad fon- Tannej Suene, ra Tarare,

ARAR. tem vnica tantùm leuca est, qui fons perennem aquam & multùm perspicuam fundit. Ejus vna pars fluvii initium est in Ligerim Oceanumque properantis, altera in Ararim, inque Rhodanum ac Mediterraneum. Igitur Lugduno Rodumnam contendenti primæ tres leucæ ad *Arbrelam* oppidulum occurrent, tantumdem ad sancti Simphoriani Layensis, & Rodumnam vsque quatuor, addo Capellam quæ semileuca tantùm abest. In diversa autem ripa Araris *Trivoltium* oppidum visitur ædito situm loco, caputque *Umbarum* regionis Lugduno vtilissimæ propter viciniam, & rerum quibus abundat affluentem copiam. Postmodum *Rupemscissam* in eadem Umbensi ripa alluit, patriam Joannis Cardinalis à Scissa rupe, quòd ibi natus esset. Denique *Insula* nomine *Barbara*, quam prope Lugdunum Arar facit, recreationi civium serviens. Unde Ausonii opera ferè omnia habuimus. Descriptionis hujus fluvii finem faciam, vbi dixero tantam vrbem ab eo intersecari, pontemque

Trevoul

Dombes

Roche-taillée.

LYON.

ejus ex novem fornicibus ſtructum esse magno totius vrbis commodo, & carpiones omnium delicatiſſimos judicio coquorum, qui aulam principis aſſectantur, in eo generari. Nec proverbium de Lugdunenſibus meis prætermittere debeo, qui dicuntur ita vivere, vt pedes in aqua, caput ſub monte habeant. Vineæ, arbores, agri atque ædificia in altiſſimo colle, vbi vetus Lugdunum ſitum erat, hodie quoque cernuntur. Ac vinum illarum vitium velis nolis eo guſtu eſt, vt ſapere odorem incenſi vſtulatique videatur, ac mihi cum Seneca appoſitè repetiturus videor, jugum illud imminere duobus fluviis Rhodano prærapidè fluenti, & Arari dubitanti quo ſuos curſus agat. In Rhodanum enim ſtatim influit, vt ſupra demonſtratum eſt. Quamobrem Silius Punicorum libro 3. Ararim ita deſcribit, ac de Rhodano primùm loquitur. ARAR.

Auget opes ſtanti ſimilis, tacitoque liquore
Mixtus Arar, quem gurgitibus complexus anhelis

ARAR. *Cunctantem immergit pelago, raptumque per arva*
Ferre vetat patrium vicina ad littora nomen.

Servius Virgilii interpres dum illum versum Bucolicorum explicat,

Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tygrim,

in hunc modum loquitur:

Galliæ fluvius fluens in flumen Rhodanum
Tygris Armeniæ fluvius defluens in Persicum sinum.

Itaque per Tygrim & Ararim vult diversa loca inter se significare. Dicit enim priùs Parthum ex Arare bibiturum, & Germanum ex Tygri, quàm sibi oblivionem futuram non amissi agri Cæsaris beneficio. Burgundia Heduorum Lugduni habetur pro granario vrbis, ut Sicilia olim Romæ, vinum Belnense, lignum & carbo ab ea provincia Lugdunum per Ararim advehuntur. Sal adverso fluvio in eam quoque equorum opera ac sudore navigia trahentium importatur, ac fere accidit cùm Rhodanus

intumuit, vt cursus Araris sistatur, ARAR
propterea que subterraneas ædificiorum cellas aqua penetret, Ararque stagno persimilis reddatur; tam enim leniter lentéque fluit, vt toto lapsu suo nullum aut exiguum murmur ab eo fieri exaudias, nisi cùm ad arcus pontium venit, vbi propter angustias eorum, & Lugduni propter rupes ponti ipsi adhærentes atque proximas murmur edere cogitur. Æstate quidem adeò quietus est, vt navicularios vexare, eisque molestum esse eum pudeat: tantumdem enim laboris afferre consuevit descendendo, quàm adversus, adeò reses pigerque est, & pueris puellisque duodecim annorum Lugduni naviculæ committuntur ad trajiciendos vectores qui se in portu offerunt, & in vtraque ripa, idque quotidie impuberes alacriter & tenui labore faciunt. Hîc finem faciam Araris narrationi, ubi dixero sub Septimio Severo Albinum qui in Gallia se Cæsarem fecerat, apud Lugdunum occisum fuisse, quod apud Sextum Aurelium Victorem reperi. Eodemque auto-

ARAR. re Sextum Aurelium Antoninum Baſſianum Caracallam, Severi filium Lugduni genitum, à qua vrbe cis Ararim ſitus eſt *Albini vicus* duabus tantùm ab ea leucis diſtans. Hanc victoriam Severi de Albino Tertullianus memorat, quì illius conſtantiſſimi Principis laudes libenter proſequitur. Deinde ſub Majoriano & Petro Magiſtro epiſtolarum ejus, cùm obſides præcepiſſet, hoſtem depulit de mœnibus vrbis, pacem illi victor dedit, bove, fruge, colono, civibus exhauſtæ, vt ait Sidonius carmine quinto. In ponte Rhodani ſunt arcus ſive fornices novemdecim majores, & minores ſeptem. Ac per eum fluvium crates lignorum, & per Idanum deſcendunt è Jura monte Sequanorum, id eſt Franci Comitatus Burgundiæ ſuperioris, & è Sabaudia vicina illis regione è ſapineis ſylvis, per induſtriam & vigilantiam putreſcentium pedum, id eſt operarum mercede conductarum, quas incolæ vocant, quòd pedes aqua ablutos habent. Hoc quoque flumen lucios omnium op-

timos alit, nec Florentini putent suos nostris similes esse, quia etsi illi publicè vendantur, nullius pene valoris sunt, imò viles & insipidi: itaque facilè decipiuntur inexperti alienigenæ, qui talem piscem ignotum sibi ab iis emerint. Ac plures quidem insulæ à Rhodano factæ secundùm littora visuntur, pascendis bobus vtilissimæ, in quas bubulci audaciores armentaque transeunt insidentes eis: quæ pascua in regione Lugdunensi Brolia vocantur, vulgo *Broteaux*. Lugduni autem ubi perfunctus est laboribus suis Arar in Rhodanum influit. Et vocem illam Petrarchæ omittere non debeo epistola ad Joannem Columnam lib. 1. rerum familiarum. *Hodierno*, inquit, *die Lugdunum perveni, nobilis & ipsa Romanorum colonia est, paululumque vetustior Agrippina. Duo in hac noti amnes Rhodanus Ararque coëunt: Sonam incolæ appellant. Sed de his nihil amplius, juncti enim ad te properant alter cogenti, alter coacto similis, videlicet Arar quem vt segnem Rhodanus ire cogit.* Cæterùm ad pontem ejus

ARAR. sacra ædicula est sancti Nicolai posita exeuntibus ad lævam, ad dexteram autem custodum seu præsidiariorum statio nocturna atque diurna. In qua hujusmodi inscriptio de plana visitur Innocentii IV. temporibus facta: sed vix legi potest ob vetustatem characterum, sculptorisque errorem, qui eam versibus non distinxit.

AVE MARIA, GRATIA PLENA, DOMINVS TECVM.

Virtutum capax, vitiorum framea, Papa
Progenie magnus, ferus vt Leo, mitis vt agnus,
Innocuus verè dictus, de nolle nocere,
Posset vt hîc fieri pons, sumptus fecit habere,
Pontem petrarum construxit Pons animarum,
Vt plebis nemo partem portaret vtramque.
Tanto Pontifici quisquis benedixerit isti,
Æsque sibi charum dabit, vt pons crescat aquarum.
Integer annus ei quadragenaque sit

Jubilæi.

Summi Pontificis opus est pons nobilis iste.

Istius artificis tibi grata sit actio, Christe,

Quanto nomen ei privatio dat nocumenti,

Qui pro laude Dei, facit hæc manifesta videri.

D. Innocentius Papa. S. Nicolaus.

Sidonius Volusiano suo scribit epistolam 17. libri 7. in qua hæc sunt verba. *Tu quoque quibus eminenes institutis, discipulos Fausti aggredere solari, fluctuantemque regulam fratrum destitutorum secundùm statuta Lyrinensium patrum vel Grignicensium, festinus informa, cujus disciplinæ si qui rebelles, ipse castiga; si qui sequaces, ipse collauda.* Locus *Grigniacensium* duabus à Lugduno leucis distat, nomenque antiquum retinet: sed quia remotissimus videtur à Lyrino Grigniaci locus, non impedio quominus aliter sentias. Mox occurrit *Calarona* amnis, de quo Ado Viennensis ait, in territorio Lugdunensi super fluvium Calarona, Desiderium Viennen-

Grigny.

Le Garon, ri-

ARAR. sem Episcopum peremptum fuisse. Beda apud *Prisciniacum* vicum id
Brignais evenisse dicit, qui nunc *Brignais* appellatur, & fluvius *Garon* paulisper contracta voce. Sequitur am-
Giers, r. nis, cui nomen *Giers*, & *Givor-*
Givors. *tium* oppidulum in ripa Rhodani alluitur fluviolo quem nominavimus. In diversa autem ripa, quam
Fesin. imperii adhuc vocant, *Villa Fasiana* est, duabus à Lugduno leucis, & tribus à Vienna, pertinetque ad Allobroges, qui nunc Delphinates à Delphino pisce appellantur, estque *Insula Fasiana* nomine, cujus fit mentio in vita Desiderii martyris: ea in Rhodano est longitudinis vnius leucæ, latitudinis totidem.

VIENNE. Sequitur VIENNA præclari Archiepiscopatus sedes, de qua Fortunatus:

Privatum Gabalus, Julianum Arvernus abundans,
Ferreolum pariter pulchra Vienna gerit.

Sed ante eum, id attributum à Martiale Poëta, qui Domitiano Cæsare vixit, Viennæ datum erat.

Fertur habere meos si vera est fama

libellos RHODANVS

Inter delicias pulchra Vienna suos.

Theodulphus Aurelianensis in Paræneſi ad judices:

Saxoſam petimus conſtructam in valle Viennam,

Quam ſcopuli inde arctant, hinc premit amnis hians.

Inde Valentinis terris ibique jacenti

Rupinos dedimus, hinc Morenata tibi.

Poſt Arauſinas terras, & Avenica rura

Tangemus, & fines quos tenuere Getæ.

Eam vrbem antiqui Senatoriam vocabant & Prætoriam, in qua Diui Mauricii memoria & Thebeorum legionis honorificè colitur, vt Ado tradit his verbis: *Tunc ſanctus Epiſcopus Eoldus Viennenſem Eccleſiam rebus auxit; erat enim affinis Francorum Regibus. Quique etiam intra ciuitatem in honore beatorum martyrum Thebeorum, Mauritii & ſociorum ejus domunculam criptatam conſtruxit, ibique non mediocrem partem reliquiarum ſive ex his martyri-*

RHODANUS *bus, sive ex aliis posuit, atque ex eo tempore res Ecclesiæ nomine beati Mauritii attitulantur, quando ex antiquo & major domus in honore septem martyrum Machabæorum, & facultates ejusdem Ecclesiæ sub nomine eorum à fidelibus afferrentur, & consecratæ manerent.* Eadem vrbs

La Gere r. alluitur à *Geria* fluviolo, de quo & cæteris rivulis nunc dicemus. Inter Lugdunum & Viennam decurrit Gera, satis altus amnis, qui *Simphoriani* oppidum interluit, & ligneum pontem habet. Is Rhodano tandem miscetur mille passibus ab eo oppido, cæterique Delphinatium fluvii eodem rapiuntur. Non procul à Vienna oritur Gera, compluribusque moletrinis super eum, quarum aliæ grano, aliæ papiro & tundendis laminis ensium apteque temperandis propriæ sunt. Viennæ appositi visuntur huic amni duo pontes, quorum vnum appellant à prioratu S. Martini ordinis D. Rufi; alter Geræ amnis prope Dominicanos & Abbatiam S. Andreæ ordinis Benedictini, ac statim in exitu vrbis Rhodanum

Bar.r. influit. *Barrina* rivus tribus à Vien-

na milliaribus prata irrigat, ac sæpè multum damni infert. *Salisa* amnis ab opulento Prioratu ordinis D. Benedicti in Rhodanum influit. Duo præterea riui, quorum vnus *Clomarcius* dicitur, alter ob viam proximam *Rivus sancti Renoberti*, eodem fluunt, *Galaber* amnis extra ripas sæpe diffluens lapideum pontem habet apud sanctum Valerium, fertilitate tamen piscium nihilominus excellit, monticulumque contingit, vbi ædes sacra Virginis fuit: moletrinas tres agit, vnam grano vtilem, alteram papiro, tertiam fullonicam. *Furania* longitudinis cursus non excedit duas aut tres ad summum leucas, sita est super illum Abbatia celebris sancti Antonii Viennensis, temporibus Urbani secundi exædificata. Clemens V. & ante eum Formosus Romani Pontifices Synodum Viennæ habuerunt: ille apud sancti Andreæ Abbatiam in aula ad id parata instructaque: hic in Basilica sancti Saluatoris. Ponte autem firmissimo munita est propter impetum fluminis, vnaque fornicum latissima, prope suburbana sanctæ

RHODANUS.

Salisa.

Clomar.

Furan.

RHODANVS *Faux-bourgs ſainte Colombe.*

Columbæ ædificia collocata, terrere inſpicientes, attonitoſque reddit. Mons *Pilæ* cùm ſit altiſſimus, *Viriacum* pagum & *Beſſam* in oceaſu habet, & longitudo ſylvæ qua veſtitur, decem perficit milliaria, & latitudo ſtadia dena complectitur.

Le Doibe, r.

Doibius fluvius ex eadem profluit in Gierium amnem acceſſu riuorum iam grandem, & influentem in Rhodanum. Via quà itur ad montis verticem præceps & contorta, vbique fontibus cincta. Locus ſuâ naturâ parvus, in ordinem diſtinctus collibus, qui quaſi ex induſtria ſimul annexi ſunt: eorum aliqui in dorſum elati, aliqui in orbem circumacti. Alius alio procerior, frequens aſcenſus, creber deſcenſus in gremio rupis. Jacet vda illa & quieſcens palus, quam *Puteum* vulgus nuncupat, & ab ea palude tempeſtatem primùm inchoare referunt. Sanè in vertice huius montis procreatur nebuloſa exhalatio, quæ ſtatim futura tonitrua aut imbres ſignificat. Hæc palus ruderibus aut criſpuliis repleta fuit, ne quid detrimẽti pecora caperent;

puteus autem qui dicitur Gieri, fluvius modicæ profectò originis est: hic auriferas arenas habet, quas qui manibus apprehendunt, ad dimidias vsque nates aqua teguntur, & si fuerit in eis aurum, statim refulget in magnitudinem milli. Fons prope solitudinem tantæ frigiditatis conspicitur, vt bibentibus intumescant ora. Manus in eo contineri propter rigorem non licet, exhausta lympha numquam minuitur, neque infusa augetur. Reperitur in ea sylva herba latissimo folio, parte altera candicante; montani herbam *Desertam* appellant. Aquilæ & accipitres in ea quoque silva multi sunt. *Dulcis* Velaunorum præceps, rapidusque torrens antequam Cardinalitio ponte jungatur, *Vzarim* rivum accipit, abluitque Burgum & Castrum *Matrum* nomine, sub parochia & prioratu Benedictini ordinis: inde in locum progreditur, vbi *Tauredunum* olim fuit à Gregorio Turonensi memoratum. Cujus nomen ferre *Turnonus* vrbs vicina etiam videtur; etsi Turnonum pro Ture-

RHODANVS.

le Doux r.

Vz.

TOVRNON.

RHODANVS

duno incolæ eam vocant. Pons autem illic eſt, quem Franciſcus è familia procerum Turnoniorum ſumptibus ſuis fieri curavit, vtrinque in diverſa ripa exædificatus, iſque nixus tanta ſoliditate, vt everti nequeat. Itaque Turnonum petentibus Vivarienſibus Vellauniſque præſto eſt hyeme, & pluvioſis anni temporibus, quamvis hic difficilior tranſitus occurrit, fornice vnica admirandi operis quantum quivis alius arcus ſeu fornix, altitudinis triginta ſex pedum & amplius, latitudinis verò tantæ, vt plauſtrum onuſtum quavis materia & duo ſimul homines facilè tranſeant. Troctis & barbatulis præcipuè abundat, nec vnquam accreſcit. Juxtaque Turnonum Rhodano permiſcetur. *Cantia* ab *Annonia* vicina vrbe Vivarenſium profluens, & *Sarra* caſtrum abluens, quod ducentis fermè paſſibus abeo diſtat, in eundem Rhodanum excurrit. *Annonia*, *Caniza* & *Doma* amnes inſulam faciunt, antequam *Andancium*, & Turnonum Vivarienſium oppidum perveniant, la-

La Cãoe, r.

Anonay

Caniſe, r.

Dome, r.

banturque in Rhodanum. Sequitur in ripa imperii *Tinurtium* è regione Turnoni: de quo Sextus Aurelius Victor. *Multis*, inquit, *interim variè gestis in Gallia apud Tinurtium contra Albinum felicissimè pugnavit Septimius Severus*. Et infra, *addunt alii quod idem cadaver in Rhodanum abjici præcepit*. Hæc Ælius Spartianus. De illis autem oppidis notum est vetus proverbium: RHODANVS. *Tin.*

Entre Tin & Tournon
Ne paist brebis ne mouton.

Id est inter Tinurtium & Turnonum nec ovis nec vervex pascitur. Taureduni, quod in monte vicino positum erat, Gregorius Turonensis mentionem facit. Solum enim ei nomen restat. *Tauredunum*, ait, *Castrum super fluvium Rhodanum in monte collocatum erat*, lib. 4. cap. 34. Postremò notandum est Turnonum esse diœcesis Valentinæ, in regione tamen Vivariensium, qui Helvii veteribus fuere. *Valentia* Segalaunorum seu Cavarum, vt Cujacius probavit, Jurisprudentiæ domicilium, explicari debet. Odo VALENCE.

RHODANVS. vir miræ probitatis dominio totius viciniæ à Federico Imperatore donatus eſt anno 1175. Is dedit Anglico Cardinali inſulam inter Rhodanum & Vadum *Sparveriæ* pro conſtructione Abbatiæ ſancti Ruſi. Patronus Valentiæ erat ſanctus Apollinaris, ac Templum Sancti Petri bellis civilibus ſolo æquatum eſt. Prope Valentiam eſt torrens periculoſiſſimus, nec piſcem alens, & quia citò areſcit, dignus qui nomine careat. *Dia*, ſive locus *Dianæ*, prope quam vrbs illa ſita eſt, unitur cum Valentiæ Epiſcopatu. Hoc quoque ſciendum, Viennam ab rupe Glaiana decem leucis abeſſe, inde Valentiam vſque duas tantùm numerari. Eo loco *Iſara* Rhodanum ingreditur. De quibus fluviis Armoricus Poëta lib. 4. Philippidos ait:

Die.

Iſere, r.

Iſaramque vado, Rhodanumque carentes.

Audivi à domino Vallis Iſaræ nobili viro id flumen è vico *Furnilio* parochiæ *Teignes*, rupeque valida oriri apud Tarentaſios, quorum vrbs pluſquam Epiſcopali di-

gnitate

gnitate illustris est: populos illos à *Centrone* vico hodie penè ignobili, & si nomen id suum hodie non retineret, planè obscuro. Inde fluit *Mellianum* Sabaudiæ oppidum in excelso monte positum, cujus radices subluit, atque accipit ad se occurrentem *Airam*, cujus à Sidonio mentionem fieri certum est in Epist. ad Heronium l. 1. *Fluens Aira per Vallem Mauriennam, quam Mauri inhabitarunt, in qua etiam erant Brannonices, in vico cui Branna nomen est, isque fluvius perpetuum murmur edens.* Noctu enim diuque aqua illa spirat, vt æquor de quo Virgilius ait,

RHODANVS.

Montmeillan

Ayre, r.

—— *Fretis spirantibus æquor.*

Ita amnis ille modò in hanc, modò in diversam ripam trajiciendus est; vnde molestiam tantam generat priusquam in Isaram labatur. Fluvius *Guya* è duobus rivulis compositus est, vnus è parochia Carthusiæ profluit, alter à sancto Petro inter montes, miscenturque apud *Scalas* exiguum oppidum. Inter hos sita est Carthusia in excelso colle, qui humilis tamen vi-

Guy, r. la Chartreuse, ou Chartrousse.

RHODANVS. detur, si vicinos montes cum eo contuleris. In Isaram autem labitur prope *Sanctum Genesium*. Troctas & vmbros plurimos alit, lucios non ita multos. Allobroges seu Delphinatum à Sabaudia dividit apud *Pontem Belvicinum*, estque in eo loco Guya altissimus. Hîc mihi descriptio majoris Carthusiæ ex voto Brunonis, à quo Religiosi illi sunt instituti, apponenda videtur, quæ, quæ septem leucis distat à Gratianopoli, beato Hugone Episcopo Brunonem ejusque collegas alloquente. Chronicum ordinis sic habet. *Locus divinitus vobis adsignatus est Eremus quædam altissimis in montibus, quam Cartusiam vocant, ampla illa quidem, sed prorsus inculta, atque à nemine habita, solis feris pervia, hominibus verò cæterisque animantibus propter loci asperitatem penè incognita & inaccessa. Altas & tanquam excisas hinc inde rupes & scopulos, arboresque silvestres & infructiferas habet; estque supra modum frigida, magnaque anni parte nivibus operta, Tunc quoque adeò prærupta, sterilis, & infructuo-*

Pont de Beauvoisin.

sa, vt nihil in ea neque seri, neque meti queat, &c. Et alio loco. *Vis horridam Carthusiani loci faciem videre? si suspexeris arduos saxososque montes, gelidas nives, infœcundasque arbores dorso montium adhærentes spectabis. Si despexeris, terrificum amnem in pede montium ingratè murmurantem videbis. Terribilem denique situm accipe; nulla siquidem ibi amœnitas, nullum solamen, nulla terrena jucunditas adest:* RHODANVS.

Vix ibi ridenti vestitur gramine tellus,
Vix ibi cantat ales, nec sunt ibi lustra ferarum.

Quid igitur? nives quidem ibi perpetuo candore candescunt, sed niveæ frigora livido pallore corpora inhabitantium adficiunt. Tanta denique est loci asperitas, ut nec Scythiæ deserta, nec Ægypti solitudines possint illi Cartusiano monti rectè comparari. Horrendum itaque carcerem, purgatoriumque locum potiùs quàm aptum humanæ vitæ habitaculum meritò dixeris. Et alibi de Guya legitur. *Fluviolus est ex montibus Carthusianis collectus, qui ingenti murmure in-*

RHODANVS. *ſtar torrentium, aut aquarum inundantium decurrit.* Et alio loco: *Eſt quidam parvus fluvius, qui Guerus mortuus, quaſi quædam imago mortis dicitur, ex circumſtantibus vndique montibus collectus, & cum ſtrepitu maximo torrentium aut inundantium aquarum more fluens.* A Valentia autem vſque ad oſtium *Iſaræ* eſt dimidium iter inter Valentiam & Turnonum. Eſt antiqua domus nobili in loco, Confluentium dicto, à quo Rhodani ripas Viennam vſque ſequendo, ſunt leucæ circiter duodecim. *Gratianopolim* redeo, vbi eundem fluvium reliqui, de quo & de *Draco* dici ſolet: *Gratianopolim perdent Serpens & Draco.* Iſaram ſerpentem vocant, quia ſinuoſus eſt, vrbemque interluit; Draco alluit, eique permiſcetur. Quam autem Gratianopolim vocamus, ea veteribus CVLARO fuit. Plancus Ciceroni epiſtolarum lib. 9. *Vale*, inquit, *octavo Idus Junias ex finibus Allobrogum.* Mox ibi narrat ſe Iſaram trajeciſſe, vt ad Vocontios properaret. Ejus vrbis porta vna Traina, id eſt Trajani dicitur,

Iſere, r.

GRENOBLE.

Drac, r.

sculptaque est capitalibus literis, & sic inscripta, vt de plano legantur hæc verba. RHODANVS.

MVRIS CVLARONENSIBVS.

Tunc temporis cùm Philippus Adeodatus in Gallia regnaret apud Viennam provinciam, quidam rivus, qui *Stagnum sancti Laurentii* vocabatur, cursu concito inter duos montes decurrens violenter erupit, feréque omnes mercatores qui apud Gratianopolim in nundinis morabantur, submersit, Isaræque fluvio adjunctus, dum in Rhodanum præcipitare nititur, pontem diruit, arbores evulsit, castella & villas subvertit, homines & jumenta sibi obviantia cursu rapidissimo secum traxit. *Romanus* vrbs Allobrogum, situ Hierusalem valde similis, vt qui vtramque viderunt affirmare solent, alioqui *Romana Castra* appellanda videtur. *Romans* enim Gallicè dicitur, & hic lapideo ponte Isara instructus est, vt prope *Marcellini* municipium, Salinæ alium quoque vides. Sequitur oppidum *Liberonis*, situm super edito tumulo, fertili tamen

Romans

S. Marcellin.
Saline.

RHO DANVS. & clementi, ſicque Latinè appellatur in Chartario publico: & Valentiam, radiceſque ejus ſubluit

Drume. *Druma*, vnde Auſonius:

Te Druma, te ſparſis incerta Druentia ripis
Alpinique colent fluvii.

Iſque rapaciſſimus torrens quantum damni inferat ſatis æſtimari non poteſt. Territorium enim largum, fertile, planumque eſt, ſed à Liberone Rhodanum vſque dimidia eſt leuca, aut more Romano duo paſſuum millia. Notandumque

Aur. eſt à Valentia *Aureolum* vſque maximam capi voluptatem ſolere, ſi illam aſpicias agris pratiſque viridiſſimis perfuſam aquis à Liberone fluentibus. Ad Valentinenſem Epiſcopum hæc duo oppida pertinent. Vibius Sequeſter ait, *Iſaram Galliæ decurrere in Rhodanum*. Aureo-

Die, r. lam verò *Dia* alluit rapidè veniens, ac ſæpe extra ripas diffluens, nec vadus ſine periculo eſt, lintribuſque trajicitur quoties intumuit. Denique vna leuca ſupra Valentiam *Iſara* ipſe parum gratus mortalium oculis, imò potiùs eis diſpli-

cens, quia valde rapidus, ac fuſcitate horrendus, & ſinuoſus, difficiliſque ac periculoſæ navigationis, Rhodanum quoque ingreditur tanta rapiditate, vt ei niſi vltra mille paſſus non permiſceatur. RHODANVS.

Lucanus Poëta teſtimonium de Iſara ferens, ſic ait:

——— qui gurgite ductus
Per tam multa ſuo famæ majoris in amnem
Lapſus ad æquoreas nomen non pertulit vndas.

Plinius lib. 3. *Rhodanus*, ait, *ex Alpibus ſe rapiens per Lemanum lacum, ſegnemque deferens Ararim, nec minùs ſe ipſo torrentem Iſaram & Druentiam in mare fertur.*

Videamus & quid Marcus Tullius de eodem flumine antè dixerit in Epiſtolis familiaribus, epiſtolâ 15. lib. 10. *In Iſara flumine maximo, quod in finibus eſt Allobrogum, ponte vno die facto exercitum ad quatuor Idus Maias traduxit.* Et eodem lib. 10. epiſt 8. *Ad XII. Kalendas Junias ab Iſara caſtra feci, pontem tamen quem in Iſara feceram, caſtellis duobus ad capita poſitis reli-*

RHODANVS. *qui, præsidiaque ibi firma posui.* Et lib. 1. Epistolarum epistolâ 23. *Pridie Nonas Junias omnes copias Isaram trajeci, pontesque quos feceram interrupi, vt spatium ad se colligendum homines haberent, & ego interea me cum cæteris conjungerem.*

Montelimar. *Achasse r.* Vivarium in ripa Regni abest à *Montilio Ademari* duabus leucis, infraque id situm est.: & *Achassia* flumen prope id lintribus trajiciendum occurrit, quod in Rhodanum postea influit. Episcopatus autem Helvii apud Vivarium translatum est eversa Helviorum vrbe, quam Valentiniani tertii temporibus floruisse ex Sidonii ad Patientem Episcopum Lugdunensem Epistola satis notum est: vt & illud, in vicinia Albensium sive Helviorum vrbem olim fuisse. Vivarium autem in ripa Rhodani positum constat. Aquila priùs quàm Liliis Vivariensis Ecclesia vsa est, etiam Joannis Regis temporibus, cùm ille Avenionem iret ad Pontificem Romanum invisendum, & Vivarium ingressus, Aquilam in vexillis sericis, & in cathedra marmorea re-

tro altare ſcultam in templo beatiſſimi Vincentii vidiſſet, & à Canonicis benignè audiiſſet Vivarium Cameram imperialem fuiſſe, ac literas Thomæ Albenſi Epiſcopo datas decimo ſeptimo Kalendas Julias indictione octava, anno ſecundo imperii Ludovici Pii Aquiſgranii palatio perlegiſſe, vt Rex doctus, ſcientiæque amantiſſimus, pro Aquila, Liliis vti conceſſit. Apud Cæſarem verò libro 7. quinque ſunt loci, ex quibus vbi ſint Helvii collocati intelligemus. Primus eſt, *Helvii fines Arvernorum contingunt.* Secundus, *mons Gebenna Arvernos ab Helviis diſcludit.* Tertius, *oppreſſis Arvernis inopinantibus quod ſe Gebenna vt muro munitos exiſtimarent.* Quartus, *Helvii à Rhodano inchoant, finitimi Vellaunis.* Quintus, *Vercingentoris altera ex parte Gabalos proximoſque pagos Arvernorum in Helvios, item Rutenos, Cadurcoſque, ad fines Volcarum & Arecomicorum depopulandos mittit.* De Gebennis extat teſtimonium grave apud Auſonium,

RHODANVS.

Interea premunt Aquitanica rura Ge-

bennæ.

RHODANVS. *Montelimar.*

Exin ſe offert explicandum *Montilii Ademari* oppidum, mediocre quidem, at pulchrum & placidum, muriſque & foſſis egregiè cinctum, circumdatumque virentibus hortis: ad quod oppidum labitur amnis ab oriente profluens ſæpe transitu difficilis, multoque ſabulo impeditus. Hic quoque in Rhodanum decurrit. *Pons Spiritui ſancto* dicatus, magnificus quidem eſt, longus mille ducentos paſſus, viginti duabus fornicibus firmiſſimis, & pavimento decenter ſtrato, clauſumque mœnibus oppidum ibi eſt. Inde Avenionem itur.

Pont S. Eſprit.

Pons Avenionenſis mille trecentos quadraginta tres longitudinis, latitudinis verò..... paſſus habet, & decem & octo fornices, ſinuoſuſque eſt. Supremum eius Templum Virgini dicatum, & palatia duo in rupe ſunt poſita, quo aſcenditur centum duodecim gradibus, nec ſine cauſa Avenionem ſedere ſuper rupe horrida Petrarcha refert epiſtolâ ad Joan. Columnam lib 7. de Rebus familia-

ribus. Quis illum pontem fecerit, ex Chronicis veteribus breviter dicam. *Anno millesimo centesimo septuagesimo septimo venit apud Auenionem adolescens nomine Benedictus, dicens se à Domino missum vt pontem super Rhodanum construeret, qui derisus est cùm sumptus non haberet, & cùm præ magnitudine nemo crederet hoc facturum, sed populi ab eo nutu divino commoniti illud opus citiù perfecerunt.* Sed vetus proverbium de ea circumfertur. RHODANVS.

Avenio ventosa,
Sine vento venenosa.

Idque epistola ad Urbanum quintum ab ipso Petrarcha explicatur in hunc modum: *Inter feras Rhodani gentes non ego sic illas nec poëta Italus, sed Hispanus vocat. Illic enim ventosissimi amnis ad ripam, vbi scilicet, & cum vento malè viuitur, & sine vento pessimè viueretur.* Cui, vt ait Seneca, ædificia quassanti, tum incolæ gratias agunt, tanquam salubritatem cæli sui debeant ei. Nec quod sequitur supprimendum. Divus certè Augustus, *Templum,* inquit, *illi cum in Galtia*

RHODANUS. *moraretur, & vouit & fecit. Illis ergo in locis aut limosis aut saxosis, atque aridis fratrum tuorum vasta palatia, & ingentes domos, imò verò carceres & vincula cernuntur. Tui prædecessores Auenione sibi sedem elegêre, quo consilio ipsi viderint. Ego enim qui ab infantia civitatem illam, multò meliùs quàm putarim meam noui singularem, nihil præter lutum & ventum ibi esse perpendi.* Inter Avenionem & Tarasconis oppidum *Druentiam* rapido cursu præcipitem fluvius Rhodanus accipit.

La Durance, r.

Petrarcha epistola ad Joannem Columnam lib. 7. de Rebus familiaribus: *Ab Avenio*, inquit, *adverso flumine tribus passuum millibus aut paulò ampliùs ascendens Argenteum gurgitem obuius habebis.* Quo verbo *Argenteus* fluvius intelligendus est, qui per *Arausiam* in Rhodanum fluit: cuius vrbis ædificia antiquitatem suam probant. Castrum est alto situm loco, vrbana ædificia ad collis radicem posita. A Castro novo Pontificis Romani ad pontem Sorgiæ vnica est leuca. Et locum olim veteres ap-

Argent. r.

Aurange.

pellabant *Vndalum* vrbem, vt Florus & Strabo aiunt. Hodie sex quadratæ turres pulchritudinem loci servant. Inde Avenionem vna duntaxat leuca est. *Vasionem* Vocontiorum esse Mela scribit, quod oppidum Vaisio Latinè dicitur, Episcopali dignitate ornatum, in ea Vasiones olim habiti sunt, de qua Poëta ait: RHODANUS.

Jam facilè campos iam rarum Vaisio carpis.

Petrarchæ vitam pridem scripsi, in eoque libello ventosum altissimum montem verbis ipsius depinxi. Itaque non erit necesse illam descriptionem etsi vtilem hîc repetere. Idem scriptor epistola ad Guidonem Archiepiscopum Genuensem, *Ad scholas*, ait, *missi fuimus. Carpentorax loco nomen, vrbs parua quidem, sed prouinciæ paruæ caput, in quam vrbem nocturnos fures venisse à Vendacensi vsque ad amnem qui lateri adiacet Carpentoractis oppidi.* Et in vita quidem S. Sifredi didici, vrbem Vendacensem esse desiisse, & locum ipsum Carpentoractis quondam simplicis

RHODANVS

municipii vocabulo dici ſolitum felici commutatione ſortitum eſſe nomen vrbis Igitur fluvii in hac vita mentionem fieri video, & ſi nomen eius non eſt adiectum, vocatur enim *Ruſſa*, ac prope vrbem fluit è Perna veniens, & prope *Inſulam* vrbem decurrens antequam Rhodano miſceatur; magnis quidem caloribus parum aquæ ſecum trahit, etſi aliis anni partibus abundat, & ſeptem aut octo leucarum curſum habet. Eâdem epiſtolâ ait: *Meta noſtræ peregrinationis illa fuit, quæ ab antiquis Auenio, à modernis Auinio dicta eſt.*

La Ruſſe, r.

SORGIA.

LA SORGE.

PETRARCHA epiſtola ad Olimpum: *Clauſa vallis eſt vnde Sorgiæ fons erumpit.* Et epiſtolâ 3. lib. 7. epiſtolarum de Rebus familiaribus: *In agello*, ait, *meo, quem ad fontem Sorgiæ habeo.* In poëmate Italico.

Mirar & ſaſſo vnde Sorga naſce
In vna valle chiuſa d'ogni intorno.

Rupes illa tam est alta, quàm campanile templi Virginis Parisiorum, ex eaque summa aqua cadit crassitudine humani corporis primùm, deinde duplo accrescit & amplius. Anguillas magno numero sæpe fundit. Plinius autem effert laudibus nobilem eius fontem, quòd in eo nascantur herbæ tam delicatæ pecoribus. Et cap. 2. lib. 2. de vita solitaria ad Philippum Patham Petrarcha ait: *Adest tuus Sorgia Rex fontiũ, ad cuius tibi murmur hæc scribo: adest liberrimum gratissimumque perfugium (Lausæ vallis (sic enim vocant incolæ) sic vocari voluit natura, quando illam circunductis collibus obdidit extra omne iter omnemque concursum, viderique nisi ab incolis non permisit. Hic tu quoque, quod rarum, & liber & dominus & præsul & solitarius esse potes, Sorgia est placidissimus fluuiorum, cuius aqua quindecim aut circiter passuum millia conscendens nulli secundum fontem lucidissimi amnis originem videbis, & incumbens prealtam rupem vt iam transire vlteriùs nec possis, nec oporteat: vt enim dextra & secunda sint omnia, illic tandem in terrã depositus ad dextram*

SORGIA.

SORGIA. *me videbis, vbi enim procul ab Italia possim esse tranquillus?* Nec verò locũ insignem Flori lib. 3. præterire non debeo. *Prima*, inquit, *trans Alpes arma nostra sensere Salyi, quum de incursionibus eorum fidissima atque amicissima ciuitas Massilia quereretur: Allobroges deinde, & Aruerni, quum aduersus eos similes Hæduorum querelæ opem & auxilium nostrum flagitarent. Varus victoriæ testis, Isaraque, & Vndalicus amnis, & impiger fluminum Rhodanus. Maximus barbaris terror elephanti fuere, immanitati gentium pares. Nil tam conspicuum in triumpho, quàm Rex ipse bis visus discoloribus in armis, argenteóque carpento qualis pugnauerat. Vtriusque victoriæ quod quantumque gaudium fuerit, vel hinc existimari potest, quod & Domitius Ænobarbus, & Fabius Maximus ipsis quibus dimicauerant locis, saxeas erexere turres, & desuper exornata armis hostibus trophæa fixere: quum hic mos inusitatus fuerit nostris. Numquam enim populus Romanus hostibus domitis suam victoriam exprobrauit.* Quem Flori locum de tribus fluminibus, Varo,

Sulga, & Rhodano facilè erit in- SOR-
telligere, Strabone interprete : is GIA,
enim ait ; *Ad vrbem Vndalum Sulgas Rhodano commiscetur.* Item ; *Adversus Domitium conflictum est, vbi Sulgas, Rhodanusque commiscetur.* Hique loci Strabonis sunt libro 4.

Boccacius in libro de Fontibus : *Sorgia*, inquit, *à surgendo dictus, in Narbonensi provincia loco qui vulgò dicitur Vallis Clausa, fons nobilissimus est : nam è specu quadam abditissima saxei montis tanta aquarum erumpit abundantia, vt abyssi putes aperiri fontes, mitiùs tamen anni tempestate quadam exundans: & cùm clarissima aqua sit, & amœna gustui illico facta, fluvius optimorum piscium ferax est, producens in fundo sui herbam adeò bobus sapidam, vt diversis ad illam carpendam sub vndis capitibus assiduè pascentes ferè ad suffocationem vsque detineant: inde inter asperrimas cautes effluens paruo contentus cursu in Rhodanum mergitur. Celebris quidem & antiquorum præconio, & aquarum copia, & piscium atque herbarum fertilitate est.*

SORGIA. Ac fons ſorgiæ poſtquam lavit, pinguioreſque & fertiliores vicinos Avenioni campos reddidit, in foſſas illius tandem labitur, Rhodanumque influit.

De Ugerno Gregorius Turonenſis lib. 8. hiſtoriæ ſuæ cap. 30. Ugernum Arelatenſe caſtrum eſſe dicit; & libro 9. ejuſdem, caſtri Ugerni nomine mentionem etiam facit, qui Gregorii XI. profectionem in Italiam deſcribit in Orgone, terra abundans lapidibus, arcta eſt via, ex vno latere alveo Druentiæ claditur, & altera ripa raxea materie inexpugnabili modo protegitur. Petrarcha verò principi Romano lib. epiſtolarum ſine numero magni facit Orgonis planitiem autumnali tempore tranſiviſſe, Orgonis planiciem pro Ugerni vſurpans.

Artere. *Antipolis* Melæ cognita & veteribus fuit. De ea Paulus Jovius lib. 35. *Antipolis*, inquit, *poſita eſt contra eas Inſulas quas Leones antiqui noſtri, hodie Leres vocant*. Cùm ait (*noſtri*) neſcio an de Italis loquatur, Galli quidem aliter appellant, videlicet *Areas*, qua voce Innocentius III. in

epistolis vsus est. Ob viciniam Nicæ quæ ad Ducem Sabaudiæ pertinet, & propter prædonum iniurias hodie propugnaculis munitur. Inter *Antipolim* autem & *Forum-Iulii* Antenopolis posita est, & antiquæ in ea inscriptiones marmoreæ, quarum vna fuit. PVER SEETEM ANNORVM XII QVI ANTIPOLI IN THEATRO BIDVO SALTAVIT ET PLACVIT. SORGIA.

Quæ verba docent ibi theatrum fuisse. Mensa quoque ænea sub terra reperta est sic inscripta ;

VIATOR INTVS ADI,
TABVLA EST ÆNEA
QVÆ TE CVNCTA PERDOCET.

Duo sunt loca in Provincia, quorum vnus aspectu valde gratus est, maximamque voluptatem parit : alter est adeò deformis, vt nescio cui placere possit. Nam ab *Olineolo* Provinciæ vsque *Yeres* iter est vnius diei, regioque ipsa adeò recreans, vt nihil pulchrius vsquam videri possit. Oliveta enim, mala aurea, citrones, & alia fructuum genera. At *Craudicampi* extenduntur in leucas septem in planicie quasi ro- *Olive-roles.* *Le Crau.*

SORGIA.

rotunda, incipiunt ab Arelate, & Salone finiunt: alii Craudios campos eſſe aiunt planiciem rotundam inter *Marticum*, & *Robreſim*, continentem quinque aut ſex leucas diametrales. Quæ quidem planicies tecta eſt lapidibus adeò parvis, vt quælibet vna manu comprehendi poſſit, inter quos lapides tantùm herbæ creſcit nutriendis animalibus, vt id maximè mirum videatur. Ab illis campis vſque ad tres Marias vt vocant, Rhodanus in mare influit, ac ferè ſunt leucæ quinque, vt à peritiſſimis locorum accepi.

DRVENTIA.

URBS *Brigantium* vna leuca à Genebra distat altissimo monte Alpium Coctiarum, à Coctio Rhe, qui sub Nerone Cæsare vivebat, sic appellato, in Archiepiscopatu Ebredunensi, de qua Gregorius loquitur lib. 4. cap. 30. Super altissimo autem monte *Genebra* est arbor, in cujus foliis manna è cœlo funditur, statimque congelatur magnitudine pisi, & septimo quoque anno maxima quantitas ejus colligitur, ac vehitur ab institoribus Venetias, vt emant Therebintinam. Cæsar ipse *Ocelli*, quod est citerioris provinciæ extremum, meminit.

Genevre.

Echilles

Prudentius egregius Poëta, qui vivebat in Hispania temporibus Theodosii Junioris & Honorii, *Nos*, inquit:

Vasco Iberus dividit,
Binis remotos Alpibus:
Trans Coctianorum jugà.

DRVENTIA. *Trans & Pyrenas rigidos.*

Ausonius epistolâ 10.

Nunc tibi trans-Alpes, & marmoream Pyrenem.

Geminas quoque Alpes in Panegyrico Julii Valerii Majoriani Sidonius constituit. Sunt Italiæ, de quibus Ammianus lib. 31. *Adusque radices Alpium Juliarum, quas Venetas appellabat antiquitas.* Strabonis quoque lib. 4. hic locus superest, *Alpes ab ora incipientes Ligustica usque ad Rheni fontes porriguntur.* Idemque Sidonius Carmine septimo de nobilitate loquens:

—— quam saxa nivalia Coctii
Despectant, variis nec non quam partibus ambit.
Thyrreni, Rhenique liquor, vel longa Pyrene,
Quam juga ab Hispano seclusam jure coërcent,
Aggreditur nimio curarum pondere tristem.

Et carm. 5.

—Jam tempore bruma,
Alpes marmoreas atque occurrentia juncto
Saxa polo, &c.

Et Pomponius Mela de Alpibus maritimis loquens; *Nicea*, inquit, *tangit Alpes, tangit Antipolis, tangit oppidum Deceatium.* Druentiam autem fluere duobus à Cabellico passuum millibus ex ore Verii Provincialium Præsidiis audivi, cùm super distantia à me inquireretur. Est verò tam rapidus ille fluvius, vt propterea trajici non possit, nec in ripis ejus lintres aut navigia vlla vsquam reperiantur. DRVENTIA.

Ac Tito Livio quis melius aptiusve hunc fluvium descripsit? *Druentia*, inquit, *Alpinus amnis longè omnium Galliæ fluminum difficillimus transitu est: nam cùm aquæ vim vehat ingestam, nom tamen navium patiens est, quia nullis coërcitus ripis, pluribus simul neque iisdem alveis fluens nova semper vada novosque gurgites faciens, ad hæc saxa glareosa voluens, nihil stabilis nec tuti ingredienti præbet.* De eodem Silius Punicorum lib. 38.

Turbidus istruncis, saxisque Druentia lætum
Ductoris vastavit iter: namque Alpibus ortus,
Avulsas ornos, & adesi fragmina

DRVENTIA. *montis*

Cum ſonitu volvens fertur luſtrantibus vndis,
Ac vada tranſlato mutat fallacia curſu
Non pediti fidus patulis, non puppibus æquis.

Ammianus lib. 15. ait, *Druentia flumen gurgitibus & vadis eſſe intortum.*

Proverbium vulgò in Provincia proferri ſolet.

Le Gouverneur, le Parlement, & la Durance
Ces trois ont gaſté la Provence.

Id eſt Gubernator, Senatus, & Druentia, Provinciam vaſtarunt.

Petrarcha Philippo Sabinenſi Epiſcopo Cardinali S. epiſtola vltima lib. 13. Rerum Senilium: *Rogas, & rogando jubes (apud me enim inter preces, juſſuſque tuos nihil intereſt) nempe cùm & inter juſſus ac ſilentium nil interſit, modò mihi de tua voluntate conſtaret. Rogas, inquam, vt verſiculos aliquot, quos olim in ſpelunca illa, ubi peccatrix Maria Magdalena triginta vel eò amplius annis pœnitentiam ſuam egit, tibi per*

Sain. Magdelaine.

hunc

hunc nuntium tuum mittam. Mihi quidem ita contigit, vt cum illo fortunæ multò majoris, quàm prudentiæ, vt verò illuc pergerem, diu obluctans, ad extremum non tam suis, quàm piæ memoriæ Joannis de Columna Cardinalis, cui nil negassem, precibus victus atque convulsus. In illo igitur sacro, sed horrendo specu, tres dies & totidem noctes sine intermissione habitans, & sæpe per sylvas vagus, & comitatu cum quo eram non admodum delectatus, ad vsitatum solatium me converti, quod pellendis aptum tædiis ipse mihi conflavi, fingendi scilicet animo præsentiam absentium amicorum, & averso à præsentibus cogitatu, cum absentibus colloquendi. Hæc paranti, tu mihi primus affueras, cum quo mihi eo tempore familiaritas recens erat, parvo tunc Episcopo, magno semper & præclaro viro. Cùm ergo specus in parte consedissemus, visus es hortari vt breve aliquid dicerem illius sanctissimæ mulieris ad gloriam. Parui tibi, eóque promptius, quò vt sunt mentes hominum piorum ad omnem devotionem pronæ, sed ad aliquam proniores, jam te illam inter sanctas, vt Marti-

DRVENTIA.

DRVENTIA.

num inter sanctos tibi prælegisse, perpenderam. Feci autem raptim, & extempore, vt qui nulla penitus tunc in remoras pati possem, fervidus audaxque juventa, vt Maro ait: nam si esses fortassis oblitus, (libenter enim obliviscitur tædiorum curarumque prementium) quartus & trigesimus annus est, ex quo acta sunt hæc, vide si interim possumus senuisse, toto ante decennio, quàm in rure tuo positus solitariæ tibi vitæ libro inscriberem. Ceterùm tunc reversus, hos tibi versiculos incorrectos legi, qui tuo & meo nomine scripti erant, vt quos te imaginario teste atque hortatore dictaveram, dehinc eos inter scripturarum mearum cumulos abjeci, nec eorum amplius recordatus sum, tu nunc illos petis, quos difficile fuit inter alia scripta, difficilius in mea memoria reperire. Ibi nempe perierant, nec penitus occurrebat tale aliquid me fecisse, tandem per indicia temporum, quibus in talibus vti soleo, cum labore & pulvere reinventi semilaceri, vt erant, & squallentes ad te veniunt; neque enim in eis aliquid muto, multa cùm possim, quo scilicet non quid sum, sed

quid eram videas, & cum voluptate quadam adolescentiæ nostræ rudimenta memineris. DRVENTIA.

Dulcis amica Dei, lacrymis inflectere nostris,
Atque humiles attende preces, nostræque saluti
Consule, namque potes, nec enim tibi tangere frustra
Permissum, gemituque pedes perfundere sacros,
Inque caput Domini preciosos spargere odores:
Nec tibi congressus primos, à morte resurgens,
Et voces audire suas, & membra videre,
Immortale decus, lumenque habitura per ævum,
Ne quicquam dedit ætherei Rex Christus olympi.
Viderat illa cruci hærentem, nec diræ paventem
Judaïcæ tormenta manus, turbáque furentis [berat linguas:
Furgia, & in vultus & æquantes ver-
Sed mœstam intrepidamque simul, digitisque cruentos
Tractantem clavos, implentem vul-

DRVENTIA.

nera fletu.

Pectora tundentem violentis candida pugnis,
Vellentem flavos manibus ſine more capillos.
Viderat hæc, numquam dum pectora fida ſuorum
Diffugerent pellente metu, memor ergo reviſit,
Te prima ante alios, tibi ſe prius obtulit vni:
Te quoque digreſſus terris, & ad aſtra reverſus,
Bis tria luſtra tibi, numquam mortalis agentem
Rupe ſub hac aliud, tam longo in tempore ſolis
Divinis contenta epulis, & rore ſalubri.
Hæc domus, antra tibi, ſtillantibus humida ſaxis
Horrifica, tenebroſa ſitu, tecta aurea, regnum,
Delitiaſque omnes, & ditia vicerat arva;
Hîc incluſa libens, longis veſtita capillis,
Veſte carens alia, ter denos paſſa Decembres:

Diceris hîc non fracta gelu, nec victa pavore: DRVENTIA.
Namque famem & frigus, dura quoque saxa, cubile,
Dulcia fecit amor, spesque alto pectore fixa.
Hîc hominum non visa oculis, stipata catervis
Angelicis, septemque die subvecta per horas,
Cælestes audire choros alterna canentes
Carmina, corporeo de carcere digna fuisti.

Sacer, sed horrendus B. Magdalenæ specus, in quo triginta vel amplius annis pœnitentiam egisse dicitur, superiori epistola à Francisco Petrarcha descriptus est, & poëma quo continetur delineatio ipsius ab eodem rogatu Philippi Pathæ olim Cavallicensis Episcopi, postmodum Sabinensis, literis mandatus est, ad quem librum vitæ solitariæ idem autor scripserat. Est autem eadem rupes tribus leucis Provincialibus ab sancti Maximini municipio, cui nomen est Balma: quatuordecim versibus sanctissimæ feminæ zelus

DRVENTIA. depictus est. Rupes igitur sive specus Niceam vrbem ab Oriente respicit, Massiliam ab Occidente, mare à Meridie, & à Septentrionibus Avenionem. Eadem extenditur in tria passuum millia, si metiaris tria passuum millia in altitudinem: deinde in longitudinem ab Occidente in orientem solem, in decem millia passuum. Qui locus planè inaccessus est. Antrum sive cripta in pede radicibusque ipsius est: in ea extrema fons oritur frigidissimus, cujus aquæ nunquam displicent, & nulli, qui nunquam arescit. Quod verò mirabile putes, aqua perpetuò stillante ex alto, tamen magnus lapis, quem guttatim attingit, non inficitur tali humore, imò siccus est. Cripta quidem ipsa alta est, altitudinem ejus lapis.... manu jactus vix attingit: eademque ab Occidente modicum lumen accipit. Sepulta autem apud Maximinum fuit, cujus municipii Ecclesiam beati pignoris custodem meritò appelles. Ea est Ordinis sancti Dominici, & Priorem ejus Rex Galliæ, Provinciæ Comes,

quem vult ex eo ordine, tanto beneficio afficit, quod ad eum vt fundatorem loci id pertinet. DRVENTIA.

A civitate Aquensi, locum *sancti Maximini*, ubi constat dilectricem Dei temporaliter obiisse, & ibidem fuisse sepultam per Maximinum eundem, distare quindecim milliaribus, est omnibus manifestum, ex Philippo Patha Cavallicensi Episcopo. S. Maximin.

In templo Maximini visitur marmoreus lapis sic inscriptus:

SVÆ COLLECTANEÆ L. THEMATILLANA ET L. VAL. CER. L. VALERIO LVCINO FILIO PIENTISSIMO FECERVNT.

In eodem etiam est vasculum vitreum collo stricto, sed inferiùs largum rotundumque, & pedibus carens, quod impletum sanguine Domini, terráque mixtum cùm in cruce pateretur die Veneris sancto, super Calvariæ monte, fuisse dicitur. Id ostenditur quotannis, concurrente populo ipso Passionis die, magna occurrentium admiratione; peractis enim sacris Prior Dominicanorum post

DRVENTIA. meridiem illud exhibet, & tunc fusis ad Deum piis precibus sanguis ipse sensim accrescere videtur quovsque vasculum impleat. Quod à pluribus qui à religione Catholica desciverunt, etiam inspectum est, attonitis tantæ rei spectaculo. Templum autem in quo vasculum asservatur, est in municipio sancti Maximini distanti sex leucarum spatio ab Aquis Sextiis, & novem à Massilia Phocensium colonia. Rivus autem *Colere* inter sanctum Maximinum & *Torvas* dimidia Provinciali leuca disparatus fluit, inque *Argenteum* amnem labitur, & abest à Maximini templo locus is, quem *Balmam* vocant..... Qui lignorum copia circumvestitus est. *Balma* autem dicitur altissima rupes, intra quam spelunca visitur, fornicata quidem, nullis ad onus sustinendum pilastris seu columnis apparentibus: longa passus quinquaginta, juxta quam tres aut quatuor Religiosi ordinis Dominicani habitant, servituri zelo populi ad eam concurrentis. Inque illa spelunca beatissima Magdalena pœ-

Argent, r.

la Baume.

nitentiam egit, mortuaque est apud Maximini domicilium, sepultaque vbi Carolus Provinciæ Comes primò ædiculam, mox ingens templum fieri curavit, institutis aliquot religiosis viris ex ordine beati Dominici. Corpus quidem ibi conditum quiescit, solumque caput ostenditur carne adhuc integra in vultu, & os brachii ejus longitudine quodvis hominum nunc superans Quæ omnia à Religioso ibi commorante & aliis testibus mihi fidelissimè relata puto. Priorem verò Dominicanorum ibi commorantem nominandi jus est Regi, quoties mutari solet, idque tertio quoque anno: nam Rex ut Provinciæ Comes ab ea gente salutatur. DRVENTIA.

Aquæ Sextiæ Archiepiscopali dignitate & Senatu totius provinciæ ornantur. Paterculus posteriori volumine, *Sextus*, ait, *Calvinus apud Aquas, quæ ab eo Sextiæ appellantur, Salios devicit.* Et Paulus Diaconus, *Alpes Coctiæ*, ait, *à Coctio Rege, qui Neronis temporibus fuit, sunt dictæ, ab Occidente Gallo-* *Aix.*

DRVENTIA. *rum finibus copulantur in Aquis, vbi aquæ calidæ ſunt.* Idem Paterculus: *Trans Alpes circa Aquas Sextias cum Theutonis Marius conflixit.* Florus lib. 3. cap. 3. *Prioreſque Theutones ſub ipſis radicibus Alpium aſſequutus, in locum quem Aquas Sextias vocant, prælio oppreſſit, & Marius quarto Conſulatu trans Alpes circa Aquas Sextias cum Theutonis conflixit, amplius centum quinquaginta hoſtium millibus priore & poſteriore die ab eo trucidatis.* Unde duobus ab ea vrbe milliaribus ob Cimbricam victoriam Romani arcum fecere, à quo fluvius *Arcus* nomen accepit. Deſcendentibus autem à Templo Servatoris Aquarum Sextiarum occurrunt in ſubterranea cella domus privatæ tres fontes aquæ aliquantulum calidæ, plus tamen manè quàm reliqua parte diei, ac plus hyeme quàm æſtate; ac veriſimile videtur ſulphur ſucceſſu temporis evaporari, caloremque Balneorum non eſſe quantus olim erat. *Arcus* autem ſive *Iris* fluvius Mediterraneam Druentiam petit, ab Aquis tamen

Arc, r.

Iris, r.

Sextiis, *Pertusum* vsque tres sunt leucæ, inque *Aptam* peruenitur. DRVENTIA.

In eadem Aquensi civitate hæ quoque inscriptiones leguntur, prima in æde D. Joannis.

EX JVLIO. SATVRIVN.
C. CORN. VALENTINVS.
Q. CORV.
SERVATVS
AMICO.

In templo Cathedrali in lapide aliunde translato.

HIC IN PACE QVIESCIT ADIVTOR, QVI POST ACCEPTAM POENITENTIAM MIGRAVIT AD DOMINVM. ANNO LXV. MENS. VII. DIES XV. DEPOSITVS SD. VIII. KAL. JANVAR. ANASTASIO V. CONSVLE.

In turri Franciscanorum.

SEXT. ACVTIVS VOL. AQVILA PRÆTOR ACVTO PATRI. SEVERÆ SORORI.
RVFO FRATRI.
H. M. H. N. S.

In sacræ Virginis ædicula.

D. M.
C. VERATII C. FILII PAL. PATERN.

DRVENTIA. EQVITIS ROM. FLAM. ARG.
C. VERATIVS THREPTION.
FILIA PIISSIMA.

Sequentes autem inſcriptiones in privatorum domibus viſuntur.

C. GEMINO CENSORI.
L. GEMINO MESSIO.
M. GEMINVS NASICA.
FRATRIBVS.
CÆ.
C. N. F. TVLI.
CATONIS FLAMINI C.
AVGVSTÆ. ĪĒ.
MATRONÆ.

SEPVLTVRÆ
POMPEIO LE.
VOL. SILVANO
TOLOSSENSI.

Ab *Reiorum* civitate vſque ad Aquas Sextias, cui ſubeſt, ſunt leucæ Provinciales undecim, id eſt ſexdecim Franciæ. In ea vrbe ſeu oppido, vt Sidonius vocat, celebratur feſtus dies Fauſti & Maximi Reienſium. In eo S. Albini templum eſt everſum. In prato quod ab ea parum abeſt, viſuntur adhuc columnæ fuſiles aliquot. In alio quod aliquanto plus abeſt à Reiis, octo

columnæ marmoreæ grisii, id est cineritii coloris, videturque templum ibi fuisse Gentilium, vt mihi ab Episcopo narratum est, qui dicebat Reios in valle sitos. *Maximus* igitur cùm Lyrinensis monachus primò fuisset, inde ad Reiorum civitatem Episcopus vocatus est: & Faustus, item Monachus fuit, vir ingenuus & magnæ doctrinæ, vt opera ejus ostendunt.

DRVENTIA.

S. Messme.

Silvæ Provinciales compositæ sunt è roboribus virentibus pinis tam masculis quàm feminis: masculi sunt qui picem resinam æstate, feminæ quæ poma & fructus esui gratas ferunt. Ac certis locis vt in montibus *Estereollis* intra *Forum Julium* ac *Antipolim* videntur arbores proceræ ac plurimæ, ex quarum cortice, quæ eis detrahitur, quotannis magnum sine dubio quæstum incolæ faciunt.

Frejus. Antibe.

Insula S. Margaritæ abest à Lerino quarta parte leucæ, propior continenti, longior quàm latior: quatuor enim passuum millia habet. Si circuitum illius nosse cupias, à Cannis vico in

L'Isle S. Marguerite.

DRVENTIA continenti tria tantùm millia numerantur. Maceriæ plures Romanorum temporum in ea viſuntur, & inhabitatæ ædificiorum ruinæ. Portus quoque in ea eſt, & ſtatio navibus fida : rupe enim tegitur adverſus ventos, nihilque in ea videas præter inhoſpita teſqua.

Salinæ, *Berrenſes*, Arearum, Eſtagu..... & Valenchianæ In menſibus, quibus ſal coqui ardore ſolis & congelari ſolet, Junio, Julio, & Auguſto, centum hominum millia non ſufficerent exportando Dei muneri vſque ad maris littus. Idque mirabile eſt. Adhuc viſuntur ruinæ & veſtigia ædificiorum quæ veteres Provinciales parabant ſervando ſali, præſertim in Lerino inſula, & eo loco qui beatæ Margaritæ nomen nunc quoque retinet, non procul ab Antipoli.

Gennadius de Vincentio & monaſterio Lyrinenſi ſic ait : *Vincentius natione Gallus apud monaſterium in Lyrinenſi inſula preſbyter fuit.* Lyrinus igitur inſulæ nomen eſt, duabus tantùm provincialibus leucis à terra diſſita, frumenti optimi

E'iſte de Lyrins.

vinique copiam ferens, aureaque mala & palmas. DRVENTIA.

In ea Vincentius habitavit, ut ipsemet fatetur his verbis; *Urbium frequentias, turbasque vitantes remotioris villulæ, secretum Monasterii incolimus habitaculum.* Hæc quidem Vincentius in Commonitorio. Quem virum nescio an debeam æquare omnibus veteribus Theologis. Quis enim vnquam adversus hæreses præclariùs scripsit? Sidonius carmine 16. ad Faustum Reiensem.

Seu te Lyrinus priscum complexa parentem est,
Quæ tu jam fractus permagna sæpe quietè
Discipulis servire venis, vixque ocia somni
Vix coctos capture cibos, abstemius ævum
Ducis, & insertis pinguis jejunia psalmis
Fratribus insinuans quantos illa insula plana
Miserit in cœlum montes.

Eadem insula, vt ex verbis Sidonii colligimus, *Planasia* etiam dici

DRVENTIA. potest. In Itinerario autem reperio duas insulas, Leronem & Lerinum, quæ Insulæ hodie S. Honorati dicuntur, & Honoratum magistrum insularum vocari ab Eucherio Lugdunensi Episcopo in præfatione libelli de Quæstionibus veteris Testamenti ad Salonium liquet. Ex Hildeberti verò Epistolis, quæ extant, insulam beatissimi Honorati & Monasterium eversum esse à pyratis memoriæ traditum est. Innocentius III. Arelatensi Archiepiscopo hæc de Lerino scribit: *Veridica multorum relatione comperimus Monasterium Lerinense, quod olim religione florebat, & temporalibus abundabat, ad eum statum sic miserabiliter devolutum, quòd nec regularia in eo instituta serventur, nec fratres ibidem de ipsius possint facultatibus congruè sustentari. Ne igitur Monasterio ipsi, quod specialiter Beati Petri juris existit, nostra videatur solicitudo deesse, quæ circa universas Ecclesias diligentius vigilare tenetur, fraternitati tuæ per Apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus accedens ad locum, si*

per fratres ejusdem Ordinis religionem ibidem posse videris reformari, & reduci monasterium ipsum in statum, id summopere studeas adimplere, indulta tibi à nobis libera facultate excludendi de monasterio quoscumque videris excludendos. DRVENTIA.

Insula verò beatæ Margaretæ à Lirino abest leuca vna, & quod excurrit. Sunt & aliæ insulæ, quas Arearum Innocentius III. in Epistolis appellat, à quo nomen illud accepimus, sed Gallica voce *Hieres.* Sequuntur Stecades, de quibus Mela ait; *In Gallia Insulæ quas referre conveniet, solæ sunt Stechades ab ora Ligurum ad Massiliam vsque dispersæ.* De his Lucanum lib. 3. ita loquutum video.

Et jam turrigeram Bruti comitata carinam,
Venerat in fluctus Rhodani cum gurgite classis
Stecados arva tenens, nec non & Graia juventus
Omne suum fatis voluit committere robur,
Grandæuosque senes missis armavit ephebis.

Quo loco arva Stœchadum pro in-

DRVENTIA. sulis dicta puto. In præfatione Cassiani ad septem collationes, vbi Honorati & Eucherii & Castoris Episcoporum mentio facta est, hæc verba reperies. *Aliæ collationes quæ ad sanctos, qui in Stœchadibus consistunt insulis, emittendæ sunt, fratres; desiderium, vt arbitror, vestri ordinis explebit.* Græca autem vox est Stœchadum, ex eo dicta, quòd Stœchas illæ insulæ proferunt. Præfatio Cassiani in septem vltimas Collationes aliorum Patrum. *Emissis juvante gratiâ Christi decem collationibus Patrum, quæ exigentibus beatissimis Episcopis Helladio ac Leontio vtcumque digestæ sunt: septem alias beato Episcopo Honorato, sancto quoque famulo Christi Eucherio dedicavi. Totidem & nunc vobis, SS. fratres Joviniane, Minervi, Leonti, & Theodore, credidi deputandas. Posterior siquidem vestrûm illam cœnobiorum sanctam atque egregiam disciplinam in provinciis Gallicanis antiquarum virtutum discretione fundavit. Cæteri verò non solùm cœnobialem professionem apprimè monachos expetere provocastis: ea*

namque collationes istæ summorum patrum disputatione contextæ sunt, & ita in omnibus temperatæ, & vtrique professioni, quæ non solùm occiduas regiones, verùm etiam insulas maximis fratrum cateruis fecistis florere, conveniant: idque vt non solùm hi qui adhuc in congregationis laudabilis subjectione perdurant, sed etiam illi qui haud longè à vestris cœnobiis secedentes Anachoretarum sectari gestiunt disciplinam, pro conditione locorum ac status sui mensura plenius instruantur: quibus hoc præcipuum contulit præcedens vestri laboris industria, vt parati jam atque in iisdem exercitiis, &c.

DRVENTIA.

DRVENTIA.

MASSILIA.

Marseille.

MASSILIAM multi præclari authores laudarunt: vt Græcarum literarum scholam Strabo celebrat, deque ea per triumphum lata Cicero, octava Philippica, & libro 2. Officiorum magnopere queritur, vt inhumaniter tractatam, & Tacitus quoque in vita Agricolæ: *Arcebat eum*, inquit, *ab illecebris peccantium præter ipsius bonam integramque naturam, quod statim parvulus sedem ac magistram studiorum Massiliam habuerit locum Græca comitate & provinciali parsimonia mistum ac bene compositum.* Hæc de illa Cor. Tacitus. Locum nobilissimum de Senatu & Centumviris Massiliensibus apud Lucianum in Toxarte sive de amicitia esse moneo: & apud Valerium de Institutis antiquis. Paulinus in Carmine ad Cytherium præclarè etiam de illa loquitur in hunc modum:

Sed propter inde posita Gallorum solo, DRVENTIA.
Massilia Graium filia,
Alumna sanctæ civitas Ecclesiæ,
Pandebat humanos sinus.

Illustrem Episcopum habuit Salvianum, illustrem Monachum Joannem Cassianum, quorum opera extant. Salvianus egregium opus suum inscripsit de Gubernatione Dei ad Salonium, sicque orditur: *Sancto Salonio Salvianus Episcopus salutem in omnibus.* Viennensem verò Antistitem Salonium notius est quàm vt à me longiori oratione dici debeat. Ejusdem extat dialogus prior ita inscriptus, *Salonius ad Veranium fratrem.* De eisdemque fratribus est Epistola supra à nobis relata. Et apud Leonem Romanum Pontificem, est alia Ceretiæ, Salonii & Veranii Episcoporum Galliæ in hunc modum.

DRVENTIA.

Domino sancto, beatissimo Patri & Apostolicæ Sedis dignissimo Papæ Leoni, Ceretius, Salonius, & Veranus.

RECensitâ epistolâ Beatitudinis vestræ, quam de fidei instructione conscriptam, ad Constantinopolitanum Episcopum destinastis, dignum esse censuimus, vt tantæ doctrinæ vbertate ditati, debitas gratias saltem oblato literarum officio redderemus. Paternæ siquidem erga nos pietatis vestræ solicitudinem comprobantes, anticipationi curationis vestræ hoc nos magis obnoxios confitemur, quod remediorum beneficia ante malorum experimenta cognovimus. Scientes namque pene sera esse remedia, quæ adauctis jam vulneribus apponuntur, vt Apostolicis illis munitionibus induamur, prouidæ pietatis vocibus præmonetis. Agnoscimus planè, beatissime Papa, quod ad nos interiora pectoris vestri peculiari affectione transmiseritis, quorum incolumitati aliorum curatione succurritis; & dum ex aliorum præcordiis infusa antiqui

Serpentis venena producitis, quasi in quadam charitatis specula constituti, Apostolica illa cura ac solicitudine conclamatis, ne inopinantibus improvisus hostis adveniat, ne vulneri locum præbeat incauta securitas, Domine sancte beatissime Pater, & Apostolica sede dignissime Papa. Deinde interpositis quibusdam sequitur & alia manu. *Memorem Coronam vestram humilitatis nostræ Christus Dominus longæva ætate conservet, domine sancte beatissime Pater, & Apostolica sede dignissime Papa. Ceretius susceptus vester, Apostolatum vestrum in Domino saluto, commendans me orationibus vestris. Salonius venerator vester, Apostolatum vestrum in Domino saluto, orationum vestrarum subsidia deposcens. Veranus cultor vestri Apostolatus, Beatitudinem vestram saluto, & vt pro me oretis peto.*

DRVENTIA.

DRVENTIA. *Domino dulcissimo suo Eucherio Salvianus.*

LEgi libros quo transmisisti mihi, stylo breves, doctrina uberes, lectione expeditos, instructione perfectos, menti tuæ & pietati pares. Nec miror quòd tam vtile ac pulchrum opus ad institutionem potissimum sanctorum ac beatorum puerorum condidisti. Cùm enim eximium in eis templum Deo ædificaveris, doctrinæ novæ eruditione quasi summum ædificii tui culmen ornasti, & vt indoles sanctæ aquæ doctrina ac vita illustrarentur, quos morali institutione formaveras, spiritali instructione decorasti. Superest vt Dominus Deus noster Jesus Christus, cujus dono admirandissimi juvenes tales sunt, pares eos faciat libris tuis, id est, vt quicquid illi continent in mysterio, hoc vterque illorum habeat in sensu. Et quia jam dispensatione divina atque judicio etiam magistri Ecclesiarum esse cœperunt, donet hoc benignissima Dei pietas, vt doctrina illorum fructus sit Ecclesiarum & tuus, profectusque

ctusque excellentissimus tam illum ornet, & quo sint geniti, quàm eos quos ipsi sua institutione generaverint: mihique hoc & si non inter omnia misericors Deus tribuat, vt qui fuerunt discipuli quondam mei, sint nunc quotidie oratores mei. Vale mi domine, & dulcis meus. DRVENTIA.

Domino beatissimo meritò suscipiendo, & in Christo devinctissimo Papæ Eucherio, Hilarius.

CVm me libellos tuos relectu-rum præcedentibus literis iudicassem, instante exactione pueri quem miseras, lectitare nullatenus potui. Emisi itaque florulenta Beatitudinis tuæ opera non parum anxius, ne necdum scripta tam jugiter, tam graviter ruentibus imbribus labefactarentur, percucurri ea semel tantum, vniversa miratus. Concedat Dominus, vt speciosa hæc in Christo instructionum nostrarum gloriæ tuæ opera te in paginis tuis duce aliquando persentiam. Hoc vnum precor, ne me diu his institutionibus fraudari feras, sed vnum me de juveni-

DRVENTIA. *bus tuis, quos hac eruditione ornasti, habens, eò instantius habere me velis, quò me magis juventutis retia premunt. Memorem te mei Dominus ad profectum Ecclesiæ suæ diu servet, beatissime Papa.*

Epistola nonagesima prima Leonis ad Theodorum Forojuliensem Episcopum, vt his qui in exitu sunt, pœnitentia & Communio non negentur.

Dilectissimo fratri Theodoro Episcopo, Leo Episcopus.

SOlicitudinis quidem tuæ is ordo esse debuerat, vt cum Metropolitano tuo primitùs de eo, quod querendum videbatur esse, conferres: ac si id, quod ignorabat Dilectio tua, etiam ipse nesciret, instrui vos pariter posceretis: quia in causis, quæ ad generalem observantiam pertinent, omnium Domini Sacerdotum sine Primatibus nihil oporteat inquiri. Sed vt quoquo modo instruatur ambiguitas consulentis, quid de pœnitentium statu Ecclesiastica habeat regula, non tacebo.

Deinde interpositis compluribus ad finem epistolæ sic ait. *Hæc autem, frater charissime, quæ ad interrogationem Dilectionis tuæ ideò respondi, ne aliquid contrarium sub ignorantiæ excusatione generetur, in Metropolitani tui notitiam facies pervenire, vt si qui fortè sunt fratrum, qui de his antea putaverint ambigendum, per ipsum de omnibus, quæ ad te scripta sunt, instruantur. Data 4. Idus Junii, Herculano viro clarissimo Consule.* Is fuit annus 13. Pontific. S. Leonis. DRVENTIA.

Lucus est municipium Vocontiorum, vt Cornelius Tacitus ait, quod in Provincia est prope Massiliam, in quo visitur marmoris inscriptio hujusmodi.

JVSTITIÆ ET CLEMENTIÆ
C. CÆSARIS.

A Massilia Forum Julii abest viginti leucis Provincialibus.

Lucanus ait Massiliam causam Senatus secutam his verbis:

——— *ad vrbem*
Haud trepidam convertit iter: tunc mœnia clausa
Conspicit, & densa juvenum vallatæ [*corona*,

DRVENTIA.

Haud procul à muris tumulus surgentis in altum
Telluris, parvum diffuso vertice campum,
Explicat hæc patens longo munimine cingi
Visa duci rupes, pilaque aptissima castris.
Proxima pars vrbis celsam consurgit in arcem,
Pars tumulo, mediisque sedent convallibus arva.

Eadem Massilia vndis Gallici maris tribus partibus abluitur. Quarta pars illa est, per quam ad eam accedit ur per continentem. Quo in spatio quicquid ad arcem pertinet, expugnatu difficile est, naturâ difficilem expugnatum reddente: nam vallis altissima & longa, & ascensu ardua est.

Theodulphi versus de Massilia, Aquensi, & Caballico civitatibus:

Massilia Argolica nos cœpit condita gente,
Arvum & Aquinæ vrbi, sive Cavelle tuum.
Ast alias lustrare vetat per singula casus,
Quarum nos populus quò sumus omnis adit.

Æquoris insani fera quas vicinia DRVENTIA.
lædunt,
Aëre corrupto & tabidus efflat odor.

Massiliam Phocenses condidere prope Arelatem, Rhodanumque fluvium, loco paludibus vliginoso, vbi boves furibundi magnoque numero pascuntur. Et superioris Theodulphi versus de Massilia primus loquitur, mox de Aquense civitate Sextiarũ, tertiò de Cabellica notissimo quoque Episcopatu. Denique de locis inter Antipolin & Olbiam Lerinumque Austro flante corrumpi solitis, Ovidius VII. Metamorphoseos.

Lætiferis caldi spirarunt flatibus Au- [*stri.*

Cassiani portus in Provincia quoque est, de quo dici solet: *Hic pater filium amisit, idcirco Portemius appellatur.*

Ex Panegyrico ad Constantinum incerti autoris, cujus initium est: *Faciam sacratissime Imperator*, descriptionem Massiliensis portus hujusmodi invenio: *Massilia, vt audio, in profundum mare prominens, & munitissimo accincta portu, in quem angusto aditu Meridianus refluit.*

DRVENTIA. *Sinus mille quingentis passibus terræ cohæret, qua firmissimis turribus frequens murus opponitur.* Quippe olim Græcos Italosque illuc, cùm artibus ingenioque pollerent, ipse etiam docuit locus, omnia quæ bello vsui forent largiùs in eam partem quæ adiri posset impendens, cum natura in cæteris cœptum operis remisisset. Massiliæ autem templum dicatum Cassiano superest, ejusque libri de Incarnatione excellentes sunt; & qui illos negligit, is sciat se esse puerum, futurumque imposterum indoctiorem.

Argenteus Amnis.

E Montibus Provinciæ *Argenteus* amnis dilapsus decurrit inter S. Martini & Varegias nota loca. In eum postea *Chalilo* rivulus labitur, & sub Carse nobili fundo alii duo, *Caraunia*, ad quem sita est Brignollia, in cujus agro delicatæ sunt pruna, vt etiam ab institoribus vendenda Lutetiam afferantur. Alter fluviolus *Caudunia* appellatur,

Caudunc, r.

ad quem ſitum eſt nobiliſſimum caſtrum *Fulcaqueriæ* ab Innocentio III. in Decretalibus epiſtolis cognitum. Ab eo loco *Toronetum* fluit, poſtea..... cui *Draconiana* vrbs appoſita eſt Foroiulienſis diœceſeos, vbi amphitheatrum, plurimaque antiquitatis veſtigia ſe oſtendunt. Denique *Rocham Brunam* pervenit, prope quam in mare labitur diviſus in brachia duo, inſulamque faciens, Itaque Argenteus amnis quatuor aut quinque ad ſummum pontes habet. Cùm in epiſtolis Marci Tullii Ciceronis Argentei pontis vnius tantùm mentionem fieri videamus in hunc modum epiſt. 34. *Cùm audißem Antonium cum ſuis copiis præmiſſo Lucio Antonio, cum parte equitatus in provinciam meam venire, cum exercitu meo confluente Rhodano caſtra movi, ac contra eos venire inſtitui. Itaque continuis itineribus ad Forum Vocontii veni, & vltra caſtra ad flumen Argenteum contra Antonianos feci.* Et eâdem epiſtolâ 34. *Data 4. Calendas Aprilis à ponte Argenteo.* Et lib. 10. epiſtolâ 35. ſub finē: *Vale 12. Cal. Junias ex caſtris ex ponte Argenteo. An-*

DRVENTIA. *Folcaquier.*

tonius Idibus Maiis ad Forum Julii cum primis copiis venit. Ventidius bidui spatio abest ab eo. Lepidus ad Forum Vocontii castra habet. Quilocus à Foro Julii quatuor & viginti millia passuum abest. Ejus fluminis ostium Ptolomæus ponit inter Olbiam & Forum Julium. *Prope & sub eo fluit Argenteus fluvius maioris famæ quàm inflatior.* Hæc sunt verba nobilis historici Guilielmi Bellaii viri militaris. Et à Foro Julio *Modium* vsque sunt tantùm quatuor provinciales leucæ, quarum quælibet conplectitur quatuor millia passuum.

Muis.

Les isles d'Eres.

AREARVM INSVLÆ.

Innocentius tertius Arelatensi Archiepiscopo, vt in Arearum insula monachi de Episcopi consensu & voluntate instituantur.

AD *audientiam nostram noveris pervenisse, quòd cùm olim in insula Arearum fratres quidam*

Cistercien. fuerint commorati, eis à Sarracenis in captivitatem deductis, quia locus est mari vicinus, ad eam se quidam regulares Canonici transtulere. Verùm cùm ipsi præ nimia paupertate locum ipsum nec ædificiis possint, nec possessionibus ampliare, in eo monasticum ordinem institui desiderant, secundùm fratrum Cistercien. Constituta, & id etiam Episcopus diœcesanus affectat. Ideoque Fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus si ad hoc diœcesani Episcopi, & eorundem fratrum concurrit affectus, in memorata insula monachos Cistercien. instituas: facturus de Canonicis memoratis quod expedire videris secundùm canonicam honestatem. Datum Romæ apud S. Petrum 17. Calend. Julii.

Evesques de Marseille & Agde.

Innocentius III. Massiliensi & Agatensi Episcopis.

CVm dilectus filius Abbas de Floreia nuper ad nostram præsentiam accessisset, nobis exposuit diligenter, & hoc ipsum Abbatis insularum, & aliorum quorundam litteræ continebant, quod in insulis Areærum fratres Cistercien. quondam fuerant commorati. Sed eis in captivitatem paganorum deductis, quoniam locus mari erat vicinus, illuo se quidam Regulares Canonici transtulerunt: qui licèt jam per annos triginta Canonicorum Regularium habitum portavissent, opera tamen contraria regularibus faciebant. Sed ad se Domino inspirante reversi monasticum ordinem ibidem plantari valebant, secundùm Cistercien. instituta, quod etiam diœcesanus affectabat. Unde nos ad Abbatis ipsius instantiam venerabili fratri nostro Arelatensi Archiepiscopo dedimus in mandatis, ut si diœcesani Episcopi, & eorundem fratrum in id ipsum desideria convenirent, Cistercien. monachos

Archevesque d'Arles.

instituereret in insula memorata, facturus de Canonicis quod crederet expedire secundùm canonicam honestatem.

ARELATE.

A *Relate* Sextanorum militum sextæ legionis colonia est, vt ait Pomponius Mela, eleganterque ab Ausonio describitur his verbis:

Prodi duplex Arelas, quam Narbo Martius, & quam
Accolit Alpinis opulenta Vienna colonis,
Præcipitis Rhodanisic intercisa fluentis,
Vt mediam facias navali ponte Plateam,
Per quam Romani commercia suscipis orbis,
Nec cohibes populosque alios, & mœnia dictas,
Gallia queis fructus, gremioque Aquitania lato.

Prudentius Peristephanum:

Teque præpollens Arelas habebit
Sancte Genesi.

Cujus Homeliam Patiens Lugdunensis Episcopus elegantem perscripsit. Quo præpollenti verbo satis laudata ab illo excellenti Poëta Arelas videtur. Ausonius quoque de Mosellâ ait :

——duplicemque per urbem
Qui meat, & dextræ Rhodanus dat nomina ripæ.

Et in Epistolis :

Utque duplex Arelas Alpina tecta Vienna.
Narboneque par spatio sibi. &c.

Amphitheatrum urbis, quod Arenas vocant, continet quinquaginta sex arcus sive fornices : palustribus vadis, & lapidosa pluvia abundat, vt Petrarcha scribit veteres sequutus. Verba ejus hæc sunt : *In Galliam trans-Alpinam, ea quæ Provincia Provinciæ nunc dicitur, olim Arelatensis Provincia dicebatur, uno propè tempore transvecti ambo, confestimque quibus eas illa patitur amicitia juncti usque ad exitum vitæ duraturæ, præarripuimus*. Hæc Sacromauro de Pomeriis

equiti ac monacho ſcribit Petrarcha. *Turonus* amnis vrbem ipſam circuit, vt apparet ex conſtitutione Flavii Tyranni ſub Honorio. Ergo veriſſimum eſt illud Caſſiodori lib. 8. Variarum; *Arelate civitas ſupra Rhodanum poſita, quæ in Orientis proſpectum tabulatum pontem per nuncupati fluminis dorſa tranſmittit.* Poſtremò ab Arelate Maſſiliam quindecim Provinciales leucæ hodie numerantur. Ac moneo lectores duas leges reperiri Arelate latas, l. ſupplices vt lite pendente Cod. à Conſtantino lata eſt, Severo & Ruffino Coſſ. Item l. habebat quis ſervum mercipolearіæ præpoſitum Arelate. Ad eandem rempubli. Arelaten. etiam pertinet l. Codicillis, de vſu & vſufructu legato. ff. Ex omnibus autem Epiſcopis Arelatenſis civitatis magnifacimus Trophimum, Honoratum, Hilarium Arelatenſem, & Cæſarium ſcribendi gloriâ inſignem, quorum primus fuit Trophimus. In homilia Cæſarii de ſancto Maximo fit mentio inſulæ Lyrinenſis, *in quam hic ſanctorum eximius pa-*

trem & fraternitatem suam fugiens, se solum ex omnibus portans in spiritu tanquam in baculo transmissum angustissimo freto, deserit Lyrinensis sedem, imò latebram petit; & vbi à mundi periculis tutus, multis laboribus desudatis, tanquam aliam in matrimonium sumpturus, & quasi annorum hebdomada transacta: nam plenè septem annis ibidem Christi gregem pavit, Rachel præfertur insulæ, præparatur Ecclesiæ. In eadem homelia paulò pòst: *Beatus & ipse communis pater, quem & illic Honoratus accepit, & hic honor rapuit, dignus cui primus ille fundator gubernacula Lyrinensis navis post se gubernanda committeret.* Hilarius Arelatensis Episcopus scripsit vitam Honorati, vtiturque his verbis; *Vt primùm sanctæ hujus Arelatensis Ecclesiæ regimen accepit, prima ei cura concordiæ fuit, & præcipuus labor fraternitatem calentibus adhuc de assumendo Episcopatu studiis dissidentes mutuo amore connectere, tanquam probatus Israëlis agitator.* Ad Hilarium Eucherius postmodum futurus Lugdunensis Episcopus, de laudibus Eremi Epi-

stolam scripsit, in qua hæc verba reperio. *Equidem cunctis eremi locis, quæ piorum illuminantur secessu, reverentiam debeo: præcipuo tamen Lerinam meam honore complector, quæ procellosi naufragiis mundi effusis piissimis vlnis receperat, venientes ab illo sæculi flagrante æstu blandè introducit sub vmbras suas, ut illic spiritum sub illa interiore Domini vmbra anheli resumant: aquis scatens, herbis virens, floribus renitens, visibus odoribusque jucunda, paradisum possidentibus se exhibet, quam possidebunt: digna quæ Honorato autore fundata sit, quæ tantis institutis tantam nacta sit patrem Apostolici spiritus vigore & vultus honore radiantem: digna quæ illum suscipiens ita emitteret, digna quæ præstantissimos alat monachos, & ambiendos præferat sacerdotes. Hæc nunc successorem ejus tenet Maximum nomine clarum, quia post ipsum meruit adsciri. Hæc habuit reverendi nominis Lupum, qui nobis illum ex tribu Benjamin Lupum retulit. Hæc habuit germanum ejus Vincentiũ interno gemmam splendore perspicuã. Hæc nunc possidet venerabi-*

lem gravitate Caprasium, veteribus sanctis parem. Hæc nunc habet sanctos senes illos, qui divisis cellulis Ægypti patres Galliis nostris intulerunt. Quos ego illic, Jesu bone, Sanctorum cœtus conventusque vidi?

DE VOLCIS.

VOlcæ Cæsari Straboniqne generale nomen significant, continentque Tectosages, & Arecomices. De illis Ausonius:

Usque in Tectosages primævo nomine Volcas.

Hannibal jam Rhodano propinquans, propè tamen quatridui itineri à mari cum exercitu distans transfretare quàm celerrime festinabat, vt Polybius ait lib. 3.

Postea Livius Decadis tertiæ l. 1. *Hannibal*, ait, *cæteris metu pacatis aut precio jam in Volcarum pervenerat agrum gentis validæ, colunt autem circa vtramque ripam Rhodani & diffisi.*

Agri arceri Pœnum posse vt flumen pro munimento haberent om-

nibus ferme ſuis trans Rhodanum trajectis vlteriorem ripam amnis obtinebant

---

CAMARIA INSVLA.

IN Rhodano inſula eſt, Caii Marii nomen ferens, quæ *Camaria* corruptè ab incolis dicitur, meliùs loquuturi ſi Camariam pro Camerga dicere maluiſſent. Ea ſeptem provinciales leucas amplectitur, frumentoque, pabulo, fructiferis arboribus, aliiſque ad victum neceſſariis rebus abundat. Poſtremò pars Rhodani mare appetens duas inſulas facit, vnam ſalinarum, quæ Pequenſium dicitur, aliam Marticarum multò ſpatioſiorem, & ſponte illi cedentem, in qua ſalinæ penitus admirandæ viſuntur. In epiſtola Senatoris ad Tribunos maritimorum hæc verba invenio: *Nemo eſt qui ſalem non deſideret invenire. Meritò, quando iſti debet omnis cibus, quod poteſt eſſe gratiſſimus.* Claudius Rutilius Nu-

Iſle de Comargue.

Iſle de Pequais & de Martigues où ſont les ſalines.

matianus, idemque Gallus in Itinerario, salis conficiendi rationem tradit:

Subjectas villæ vacat aspectare salinas;
Namque hoc censetur nomine salsa palus.
Quà mare terrenis declive canalibus intrat,
Multifidosque lacus parvula fossa rigat.
At ubi flagrantes admovit Syrius ignes,
Cùm pallent herbæ, cùm sitit omnis ager,
Cùm cataractarum claustris excluditur æquor,
Ut fixos latices horrida dumet humus.
Concipiunt acrem nativa coagula Phœbum,
Et gravis æstivo crusta calore coit.

Manilius lib. 5 Astronomic. eandem salis conficiendi rationem scribit multò ante Rutilium; vixit enim Augusti temporibus.

—Magnas poterunt celebrare Salinas,
Et pontum coquere, & ponti secernere

vires,
Cùm solidum certo distendunt margine campum,
Adpelluntque suo deductum ex æquore fluctum,
Claudendoque negant: tum demum suscipit vndas
Area, tum Pontus per solem humore nitescit.
Congeritur siccum pelagus, mersique profundè
Canities emotæ maris, spumaque rigentis
Ingentes faciunt cumulos, Pelagique venenum.
Quodque erat vsus aquæ succo corruptus amaro,
Vitali sale permutant, reddunteque salubrem.

Pequentium autem insula longior quàm latior. O quantas opes non Provinciæ in qua sita est, sed Regi Galliæ Christianissimo affert propter salinas, salisque conficiendi rationem! Notandumque est multò minori quantitate salis Pequensis condiri ea quæ salsugine indigent, quàm Sanctonici. Et ratio est, quia magis ardet

cœlum apud Massilienses quàm apud Sanctonas; & videlicet mensibus Junio, Julio, & Augusto. Addere & aliam rationem facile est, quia ora Massiliensium exposita est meridiano soli, proptereaque calidior. Postremò pars Rhodani Gallicum mare ingreditur; sic enim Ammiano Marcellino appellari placuit, idque propriè, cujus verba sunt lib. xv. *Rhodanus Gallico mari concorporatur per patulum sinum quem vocant ad gradus, ab Arelate octavo decimo ferè lapide disparatum, quem ad tres Marias incolæ vocant.* Itaque Titus Livius verissimè scripsit Rhodanum multis ostiis decurrere in mare. Restat generalis descriptio hujus fluminis apud Pomponium Melam, quæ hujusmodi est: *Rhodanus non longè ab Istri Rhenique fontibus surgit: deinde Lemano lacu acceptus, tenet impetum, seque per medium integer agens, quantus venit egreditur: inde contra in Occidentem ablatus, aliquandiu Gallias dirimit: post cursu in meridiem abducto, hàc intrat, accessúque aliorum amnium jam grandis,*

& subinde grandior, inter Volecas & Cavaras emittitur.

ATAX.

ATAX.

A*Tax* Pyrenæorum circa Narbonam decurrit in Thyrrenum, vt Vibius Sequester ait post Pomponium Melam, cujus verba sunt; *Atax ex Pyrenæo monte digressus quà suis fontis aquis venit, nisi vbi Narbonam attingit nusquam navigabilis, sed cum hybernis intumuit imbribus, vsque eo solitus insurgere, vt se ipse non capiat.* Aimoinus libro 4. cap. 58. *Victor igitur atque bellator insignis Carolus (Magnus) intrepidus Rhodanum fluvium cum exercitu suo transiit, Gothorum fines penetravit, atque Narbonam vsque accessit, ipsamque vrbem celeberrimam atque metropolim eorum obsedit, super Adicem fluvium munitionem in gyrum in modum arietum instruxit.* Quo loco Adicem pro Atacem vsurpavit; Lucanus enim Poëta dixit:

ATAX. *Mitis Atax latior gaudet non ferre carinas.*

Armoricus quidem putavit Atacem influere in Rhodanum, sed in hoc deceptus est: & Strabo quoque, qui ait libro 4. ex Cemeno monte Attacem oriri & Obrin, & Ararim, fallitur; nisi erratum est ab exceptoribus qui scribere debuerant *Cevennam*, non *Cemenam*. Postremò Atax alluit *Alectam*, interluit *Limolium*, atque superiorem & inferiorem *Carcassonam* intersecat, posteà *Narbonam*, duabusque ab ea leucis secundùm Agatham influit in mare. Grassa Monasterium Narbonæ vicinum, in monte quidem situm est, ac vallis quæ radices subluit, Carbona appellatur. Denique Pomponius Narbonam ait esse coloniam Atacinorum. De qua sicut & de Nemauso, Agatha, Biterri, & aliis Gothiæ sive Septimaniæ vrbibus hi in Paræneſi Theodulphi versus leguntur:

Obre, r.

Nemausiacas sensim properamus ad arces,
Quò spatiosa vrbs est, resque operosa

satis.

Hinc Madolona habuit lævam, Sextatio dextram,

Hic scabris podiis, cingitur illa mari.

Queis bene transitis, Agathem mox parte sinistra

Linquimus, & nosmet tecta Beteris habent.

Mox sedes Narbona tuas, vrbemque decoram

Tangimus, occurrit quò mihi læta cohors.

Reliquiæ Getici populi, simul Hespera turba

Me consanguineo sit duce læta sibi.

Inde revisentes te Carcassona, Redasque,

Mœnibus inferimus nos citò Narbo tuis.

Vndique conveniunt populi, clerique cateruæ,

Et Synodus clerum colligit Alma suum.

Orgius seu *Orgio* amnis decurrit ad radices vrbis Episcopalis Biterensis, quæ olim à monte & Orgo vocabatur, postea *Biterris* dicta, quasi bis terra, ob abundantiam

annonæ, vt in vita S. Aphrodiſii habetur : qui amnis à prima ſua origine vſque ad mare duodecim ferè leucas fluit.

GARVMNA.

GARVMNA SEPTEM flumina, Garumnam, Aurigeram, Tarnem, Oldam, Duranum, Atyrum, & Ægertium breviter deſcripſit Gabriel Lurbeus Burdegalenſis, nec eum laude ſua carere volumus : magno enim labore & induſtria id opuſculum confecit, & ſicubi erratum ab eo eſt, mihi ſatis erit locum indicaſſe, ſic autem orditur. Aquitania quam nonnulli veterum tertiam Galliarum partem conſtituere, ex prima Romanorum deſcriptione, à Garumna flumine, ad Pyrenæos montes, & eam partem Oceani, quæ ad Hiſpaniam pertinet, inter occaſum Solis & Septentriones protenditur. Suetonius in Octavio: *Domuit*, inquit, *partim ductu partim auſpiciis ſuis Cantabriam, Aquitaniam,*

taniam, Pannoniam, Dalmatiam, cum Illyrico omni, Rhetiam & Vindelicos ac Salassos gentes Alpinas. Postea finibus Aquitaniæ prolatis, Garumna, quæ Celtas ab Aquitanis antiquis dirimebat, per medios Aquitanos in Oceanum excurrit. Exinde Aquitania in Cisgarumnam & Transgarumnam dividitur. Cisgarumna inter Pyrenæum & Garumnam à Fuxensibus, Convenis, Ausciis, Bigerronibus, Tarbellis, Benearnensibus, Vasatensibus, Viviscis sive Burdigalensibus possidetur, & nomine Vasconiæ vocatur. Transgarumnam ad Ligerim vsque, Rutheni, Cadurci, Aginnenses, Petracorii, Lemovicenses, Bituriges Cubi, Engolismenses, Santones, & Pictones incolunt. Garumna igitur omnium qui è Pyrenæo fluunt, fluviorum maximus, cursu rapido Tholosam, inde Burdigalam perlabitur, vix vadosus nisi flagrantissimo cœli sidere, sed semper lemborum & navigiorum capax. A Burdegala verò, ubi Oceani æstuantis accessibus adauctus est, iisdem retro remeantibus suas

GARVMNA.

GARVMNA.

illiusque aquas agit, aliquantulum plenior; & quantò magis procedit, eò latior, magnique freti similis, nec majora tantùm navigia tolerat, verùm etiam more pelagi sævientis exurgens navigantes jactat: vento, vbi paululum spiraverit, mirum in modum commoveri solitus. Unde Claudianus:

—Retro pernicior vnda Garumnæ
Oceani pleno quoties impellitur æstu.

Ita Buchananus princeps Poëtarum hujus sæculi in Sylva ad Carolum V. Burdigalæ hospitio publicè susceptum.

—Oceanus, inquit, *refluis vt plenior vndis*
Majores convolvit aquas.

Hanc etiam æquoream, id est latam vocavit Ausonius illo versu ad Paulinum:

Æquoream liqui te propter, amice, Garumnam,
Te propter campos incola Sanctonicos.

Etsi autem Garumnæ æstivosis recursibus Luna, vt reliquo Oceano dominetur, tamen certum est

circa Æquinoctia altiùs attolli, verùm Autumnali potiùs, quàm Verno. Inanes penè æstus in Bruma, in Solstitio debiliores: sicut ventis Australibus insurgere, Borealibus comprimi experientia rerum magistra docuit. Varii generis numerosam piscium sobolem, & fluminearum alitum dites cupedias macello subministrat Garumna. Ab ipso certè amnis capite donec se in pelagus effundat, tructis, salmonibus, mustellis, murenis, carpionibus, tincis, alburnis, gobionibus, barbis, alausis, luciis, mullis, mugilibus, & aliis id genus piscibus abundans, nec deest accipenser, quem Gallo-Romani sturionem, Burdigalenses *Creac* vocant. Et quod spectantium oculos grato virore detinet, & vtilitatem non exiguam suavissimæ amœnitati habet admixtam, perpetui vitiferi colles illum ambiunt, vnde Ausonius:

GARVMNA.

Sic mea flaventem pingunt vineta Garumnam,
Summis quippe jugis tendentis in vltima clivi
Conseritur viridi fluvialis margo

GARVMNA.

Lyæo.

Ut autem Lurbeus debita laude non caruit, ita Helias Apamiensis Jureconsultus, qui de Atace & Aurigera eleganter scripsit lib. 1. historiæ Fuxensium Comitum, fama apud posteros perenni celebrabitur. *Ex his etiam Pyrenæis montibus,* inquit, *nobilissima ingentiaque flumina prodeunt, inde in vtramque Galliam propero cursu sese latè infundentia. Quorum primus Atax suis cunabulis, ipsoque ortu præceps, tum deinde cum plana attigit molliter fluens, atque stanti similis videtur. Cui vicinus est Aurigera, omnium fluviorum quos Pyrene producit nobilissimus, ditissimusq; ab auro gerendo cognominatus, quo neque Tagus aurifer, neque Pactolus, Hermus, Durius, Paduſve aureis arenis insignes, celebriores nobiliores que existunt. Ex hoc enim, vt nos ipsi sæpiùs vidimus, pellucidi ex auro frustuli, crustuli, arenæque aureæ persæpe ab incolis defodiuntur, ac dein secundùm ripam fluminis sordibus elotis, depurgatisque omnibus excrementis, ipsum aurum purum solumque remanet: quod si in minutas par-*

tes dispersum fuerit, argento vivo in vnum colligunt: qui mox Fuxensibus, Pamiensibusque assiduus est, adeò vt ex eo quæstu plures alantur, amplaque interdum patrimonia parent. Hic fluvius turtures ingentes alit, haud quidem salmonibus cedentes, ac etiam minutorum pisciculorum genus, alburnos, alausas, monopalmosque salmonulos. Hic postquam campos oppidaque Fuxensis oræ alluit, in Garumnam fluvium duobus à Tholosa milliaribus sese immittit, illum aucturus, hoc tantùm ex augmento præmii referens, vt pulcherrimum nomen amittat, subeatque Garumnæ appellationem. Continuato igitur cum Aurigera cursu, conjunctisque aquis Garumna procedit, omnium, qui è Pyrenæo prodeunt, fluviorum maximus, altissimusque, qui per Tholosates Aquitanosque transiens, junctis secum aliis fluminibus, in Burdigalam mareque Oceanum dilabitur.

GARVMNA.

Garumnam autem magnum Tibullus vocat versu illo:

Testis Arar, Rhodanusque celer, magnusque Garumna.

Buchananus in Silvis pulchrum

GARVMNA. epithetum eidem fluvio tribuit.

Vaſconidis regnator aquis generoſe Garumnæ.

In iiſdem Silvis deſiderium Ptolomei Luxii paucis ita exprimit:

Vſque adeo patrii ſordet tibi ripa Garumnæ,
Pictones vt ſcopulos, atque horrida teſca frutetis
Durus ames?

Quod Fortunatus ante eum ei tribuerat in Ægercii deſcriptione.

Petrus Ronſardus noſtri generis Poëtarum optimus de Pibracio Tholoſate loquens:

Pibrac de la belle Garonne le docte & eloquent nourriſſon.

Sed idem dixiſſe videtur Auſonius illo verſu:

Perque latus pulchro perlabitur amne Garumna.

Et Sidonius, *remis velivolum quatit Garumnam.* Cujus autoris ſunt hi quoque elegantes verſus:

Eſt locus irrigua qua rupe Garumna rotatus,
Et tu qui ſimili feſtinus in æquora lapſu
Exis curvata Durani muſcoſe ſaburra,

Jam pigrescentes sensim confunditis amnes. GARUMNA.
Currit in adversum hic pontus, multoque recursu
Flumina quæ volvunt & spernit & expedit undas:
At cum summotus Lunaribus incrementis
Ipse Garumna suos indorsa recolligit æstus,
Præcipiti fluctu raptim redit, atque videtur
In fontem jam non refluus, sed defluus ire.

Ausonius quoque Poëta, & sub Gratiano Cæsare Consul designatus, de eodem recursu sic ait:

Te quoque ne pigeat consponsi fœderis, & jam
Citus veni remo, aut rota.
Æquoris undosi qua multiplicata recursu
Garumna pontum provocat.

Sidonius Carmine 7. de eodem Garumna ita loquitur:

——— qua pulsus ab æstu
Oceanus refluum spargit per culta Garumnam
In flumen currente mari transcendit

GARVM NA.

amarus.

Blanda fluenta latex, fluviique impacta per alveum
Salſa peregrinum ſibi navigat vnda profundum.

Quem autorem Buchananus in Sylvis imitatus videtur in hunc modum:

Ipſe ſuas vites, ſua pinguia culta Garumna
Oderit, & nulla redimitus arundine frontem
In mare per ſteriles lentè proreptet arenas.

Et Fortunatus de Leontio loquens:

Inferiora velut ſunt flumina cuncta Garumna,
Non aliter vobis ſubjacet omnis apex.

Ac fortè id de Aquitanicis amnibus intelligitur; nam aliò referri non poſſe videtur. Auſonius ad Paulinum epiſtola:

—Lataeque fluenta Garumnæ.

Et in deſcriptione Moſellæ:

— æquoreæ te commendabo Garumnæ.

Strabo quidem Amaſiæ natus,

civitate Pontica, qui Augusti & Tiberii temporibus floruit, narrat tria flumina influere in Garumnam. Sanè multò plura influunt, sed nominis majoris ista sunt, Duranus, Oltus sive Oldus, Tarnis. Cætera antiquus ille scriptor brevitatis causâ nominare noluit. Duobus autem stadiorum millibus vtriusque fluminis navigationem, Garumnæ scilicet & Ligeris fluviorum, tradit lib. 4. Et Gallos quidem, qui sunt Celtæ, ab Aquitanis Garumna flumen disterminat, à Pyrenæis oriens collibus post oppida multa transcursa in Oceanum delitescens. Hæc Ammiani Marcellini verba sunt lib. 15. Sed plenissimè Garumna describitur à Pomponio Mela, nec necesse est ejus descriptionem paulò longiorem hîc adscribere, cùm Mela ipse de situ orbis facilè passimque reperiatur. Pars autem Aquitaniæ, cui Vasconiæ nomen est, continetur montibus Pyrenæis versus Meridiem, Garumna flumine ad orientem Solem & Septentriones, & mari Oceano versus Occasum. Ga-

GARVMNA.

GARUMNA. rumna enim oritur in Auræ montibus, diœceſi & territorio Convenarum, qui ſunt Pyrenæorum, ſupra oppidulum S. Beati, ortuſque ipſius ad eam partem montium qui ad Hiſpanos pertinent, referendus eſt. At vbi Garumna in planiciem deſcendit, in oppidulum, cui Regio monti nomen eſt, verſus Orientem fluit per *Valentinam*, mox in Septentrionem per *Riverias*, *Muretum* & *Tholoſam*, vnde perpetuo curſu in mare Oceanum influit, multas claras vrbes *Granatam*, *Aginnum*, *Portum Mariæ Virginis*, *Marmandam*, *Regulam*, *D. Macharium*, *Burdegalam* alluens aut interſecans, antequam Oceano miſceatur. Nec verò omnes regiones quas adit, ad Vaſconiam pertinent, neque ejus ſunt. Regio enim illa excipitur, quæ continet *Benearnum* & *Biſcainos*, & duas regiones *Sulam* & *Lapurdiam*, *Navarramque* inferiorem, quæ Henrico IV. Regi noſtro ſubeſt. A Garumna autem verſus Pyrenæos & Hiſpaniæ fines properantibus intra Vaſconiam multi ſunt exigui rivu-

Grenade. *Agen.* *Port ſainte Marie.* *La Reolle.* *S. Machair.*

B r. n. B c ns. S. Labour.

li, multi mediocres diversis locis reperiuntur. Quo in numero *Balisa* est per *Insulam* exiguam vrbem fluens tribus milliaribus ab Auscis, & à *Neratio* præcipua vrbe Ducatus Albretiorum: duobus autem ab eodem Neratio in Garumnam influit *Ciron* vno tantùm milliari ab arenosa *Vasatum* vrbe, sub arcu & fornice pulcherrima *Bauliaci* pontis. Hujus amnis fit mentio in Itinerario Antonini. Ab hoc fluviolo pergentibus versus Pyrenæos occurrit alius amnis sæpe periculosus, satisque inflatus aquis. Huic nomen *Larodio*, qui è Convenarum montibus fluens, in *Aturrum* labitur infra parvam vrbem cui Malburgeto nomen est. Vltra hunc fluvium Pyrenæos proficiscentibus occurrit *Atir* pleno alveo, qui oritur in mõtibus *Bigerrionum*, posteà fluit *Campanum*, quod est egregium mapale longum dimidiã leucam, optimo butyro & melle abundans; ex quo ardentibus bellis sclopetarios ter mille in hostem ducere facile est: deinde per oppidum *Calentũ aquarũ* qui *Vicani Aquenses* appellantur: mox *Tarbeam* Epis-

GARVMNA.
Baise, r.
Islette.
Aux.
Nerat.
Albret.
Ciron, r
Larod, r
Atur.
l'Adour
Bigorre.
Campan.
Tarbe.

GARVMNA. copalem vrbem gentis Bigerrionum, poſteà vicum Bigerrionum, *Malburgetum* & *Aduram* vrbem Epiſcopo illuſtrem, *ſancti Severi* municipium, quod Vaſconiæ caput dicitur, *Aquas* quæ *Auguſtæ* vocantur. Inde Atir junctus *Gavo*, quem Bearnenſem incolæ appellant, loco *Honargave*, longitudinem murorum *Baionæ* vrbis Epiſcopalis, quà Franciam aſpicit, excurrens in Oceanum influit. Tránſito Gavo ſive Gabero (nam Bearnenſes patriâ linguâ ſic appellant,) *Benearnum* regionem itur, in qua duo fluvioli viſuntur, *Luiſa* & *Gavaſus*, qui ibi fontes habent. Alii etiam amnes certo anni tempore ſatis periculoſi ex eo tractu manant. Cæterùm primarii fluvii Bearnenſium ſunt Gavi, quorum vnus appellatur Bearnenſis, eſtque primarius, & inflatior cæteris, & quiante alios occurrit, iſque oritur in montibus *Lavedanis* regionis Bigerrionum ſupra Balnea *Canteresia*: iſque incredibili & formidabili impetu ex montibus illis labitur, & præcipitem ſe dat. Hic eſt fons præcipuus Gavi, cui jungitur

Malbourguet.
Aire.
S. Severin.
Le Gave de Bear, r.
Le Luis r.
Le Gavas, r.
Lavedan.

alter, isque minor, quem *Gavaretum* incolæ vocant, quasi diminutivum Gavi, qui manat è *Baredienſibus* Balneis, qui in eiſdem ſunt montibus vallibuſque Lavedanis, ac parum cedit ſuperiori Gavo: fitque conjunctio ſeu permixtio in loco quem vulgus appellat *Peyreſatte*, in iiſdem montibus Comitatus Bigerrionum, atque ita permixtus aquis fluunt verſus *Lapurdam*, vbi munitio egregiè valida viſitur, poſtea in vrbem *Bigerrionum*, inde mapale *S. Petri Gueyrenſis*, quod regionis Bigerrionum quoque eſt: poſtmodum ingreditur *Bearnum* regionem, ac perexiguam vrbem ſatisque pulchram, cui *Naio* nomen, exin *Palum* præcipuam vrbem Bearnenſium, & iuriſdictione cæteris imperantem, vbi Regia eſt, indeque *Orthas* lapideo ponte ornatus, indeque Bellotium fluit, quo loco relicto Bearnenſi principatu, ingreditur regionem *Urthenſem*, quæ pertinet ad Regem Francorum, decurritque *Sordam* municipium ſatis populoſum, vbi iungitur alteri Gavo, quem

GARUMNA. *Gavaret.* *Baredi.* *Lourds.* *Nai.* *Pau.* *Ourthr.* *Sord.*

GARVMNA. *Oleronensem* vocant, de quo infrà loquemur; Bajonensesque muros alluit cum Atiro. Hic autem fluvius etsi satis aquarum habet, tamen propter rapiditatem & rupes quæ sunt in ejus alveo, navigabilis non est, vt cæteri fluvii propter eandem rationem: imò,

—*Lædit sata læta, boumque labores,*

vt ait Poëta, frequentibusque exundationibus extra ripas diffluit, & hic paucis tantùm locis cum naviculis trajicitur. Post hunc Gavum Bearnensem accedendo ad Oleronensem prope montes Hispanici juris, trajiciuntur multo periculo quandoque rivi, quos hîc brevitatis causâ omittimus. Eorum tamen vnus est referendus ob copiam aquarum, hicque vocatur *Nesus*, qui jungitur Bearnensi vltra Palum, oriturque è fonte, in loco cui *Revenacio* nomen, ac statim moletrinam agit, è quatuor molis compositam, nec vmquam arescit quantuscumque calor terras vrat: nullum tamen lembum aut navigium patitur. Juxta muros Oloroni vrbis duo amnes fluunt;

Le Nesr.

Revenac.

vnus *Osavus*, alter *Aspeus*, qui junguntur non longiori spatio à muris vrbis quàm jactu lapidis. Et quidem vrbs illa populo abundat & mercibus, sitaque est in radicibus Pyrenæorum. Nam etsi Bearnenses & Biscaini generaliter sunt admodum montosi, tamen respectu altissimorum montium, qui in Pyrenæis visuntur, ac propè cœlum altitudine contingere judicantur, & veluti quidam limites inter nos & Hispaniam; nihil aliud sunt quàm colles & valles Hi autem duo fluvii Osavus & Aspeus vocantur à vallibus vnde profluunt ac descendunt: vallesque dictæ sunt ab incolis certæ regiunculæ montium, quæ incolas habent, plurimaque oppidula & vicos cultura prorsus mirabili. Gavus verò & Aspeus separant Olorionum ab vrbe sanctæ Mariæ, quæ sedes est Episcopatus illius, tam stricto trajectu, vt pons qui est inter has duas vrbes, ex vna tantùm, sed longissima, trabe sit compositus, quæ attingit vtramque ripam. Igitur hi amnes extra vrbem Olorionum

GARVNA
Osseaus.
r.
Aspe, r.

GARVMNA. permixti nomen amittunt, ac vocantur deinceps vno nomine Gavi Olorionenſis, qui *Navarrinum* interſecat, munitionem egregiam ſitamque inter fines Bearnenſium. Mox *Salvamterram*, indeque permiſcetur Gavo Bearnenſi apud *Hordam*, vnáque fluunt iuxta Bajonam, denique in Oceanum labuntur. Memorabile autem eſt quòd hi fluvii neque diviſi neque iuncti vmquam extra ripas diffluunt, immò continentur alveis ſuis, altiſque marginibus veluti muris ac præaltis rupibus, quarum ductus plenus inſtar pavimenti eſt: idcirco etiamſi rapidi, navigabiles tamen non ſunt. Quò fit vt vicinis agris nihil noceant, vt iam diximus, ac trajiciuntur navigio certis tantùm locis. Propiùs autem accedendo ab Olorionio ad montes Hiſpanici iuris, occurrit fluviolus quatuor millibus ſpatium ab eo cui nomen *Vertio*, deſcendens à Valle, id eſt regione Baritufia, proximeque accedit latitudine ad Gavos diviſos, atque abundat troctis, quem penè vni-

Salvaterre.

Le Vertre.

cum excellentem piſcem habent. Is excellit cæteris, & purpuream carnem habens. Nec verò vllam vrbem fluendo attingit, atque ſub Olorono quatuor millibus ſpatium in Gavum influit. Nulli autem amplius in Bearnenſi principatu ſunt memorabiles fluvii, ſed ſtatim tranſito Vertio aditus patet in Regionem *Viſcainam* & Vicecomitatum *Hulenſem*, quorum vulgaris lingua Biſcaina eſt. Verùm quia populus eius gentis frequens eſt in Bearnenſi tractu, eius maior pars Bearnenſem ſermonem intelligit. In eadem verò Hullenſi regione eſt alius fluvius, quem etiam Gavum vocant nomine generali fluviorum illius, ſed ſpeciali nota *Haum* nuncupatur, manatque è montibus Biſcainorum, qui ſunt in vicinia ſuperioris Navarræ, quæ eſt vltra montes quos Hiſpani occupant, atque in radicibus Mauleonis oppiduli præcipui Hulenſium, inter vicum communi voce gentis Licharram & Mauleonem. Permiſcetur Gavo Olorionenſi quatuor paſſuum millibus à Salvaterra Bear-

GARUMNA.

Le Haule.

Haum, r.

GARVMNA. nenſium, nec navigia patitur, ſicut nec alii fluvii de quibus diximus. In inferiori verò Navarra exiguus amnis eſt, quem *Vidoſum* ſeu *Bidoſum* patriâ linguâ incolæ vocant, qui ex iiſdem montibus fluit atque oritur verſus *ſancti Joannis à pede portarum*, quod eſt initium atque iter montium, quibus ab inferiori Navarra in ſuperiorem tranſitur, vbi vrbs *Sancti Pelagii* eſt, ſedeſque eſt Cancellarii Navarrorum: inde rurſus *Vidacum* vicum præcipuum Grandimontanæ familiæ, quod eſt caput Comitatus illius pertinentis ad eandem familiam, labiturque in Gavos eo loco, qui à nomine D. *Joannis Lichareni* nuncupatur, quatuor majoribus leucis à Baiona. Hic autem fluvius licèt exiguus, nihilominus ob fluxum & refluxum maris navigabilis eſt: mox in loco, cui *Camæ* nomen, vſque ad Oceanum ac Baionam verſus magna navigia, quas Chalupas lingua patria vocant, quotidie defert. Tranſito autem Vidoſa ſeu Bidoſa verſus Oceanum

Vidoſum, r.

Pied de port.

Vidoſa ſeu Bidoſa, r.

& Baionam, est regio *Labursia*, seu terra laboris, quorum lingua & sermo Biscainus est; tractusque regionis extenditur à Baiona vsque ad S. Joannem Lugiensem, septem leucas spatii continens: illaque regio nec fertilis, nec abundans, *Lapurdiensis* à Scaligero Julii filio appellatur. *Nivus* oritur ex iisdem montibus Navarrorum, & terram Laboriam perfluit, vt Gavus apud Baionam ingrediatur. Et quamvis revera intra vrbem illam non fluat, muros tamen pene lambit inter vrbem & suburbanum ea parte quæ *Panacana* appellatur, atque incipit navigia ferre ab eo loco qui *Vstaricius* vocatur, tribus supra Baionam leucis ab ea dissitus, idque fit ob refluxum maris. Commentarium autem horum fluviorum Gallico sermone manuscriptum rogatus ab amicis Joannes Petrus Badia Lascuriæ Episcopus, & diligens rerum memorabilium patriæ suæ observator, ad me Lutetiam mittendum curavit, cui ob id beneficium quam maximas possum gratias ago, non periturus quandiu huic libro vita supererit.

GARVMNA. *Labourth.*

Le Nive, r.

GARVMNA. Antequam, autem ad descriptionem à Lurbeo factam perveniatur, locum vnum ex capite 1. lib 5. Aimoni de Pyrenæo subjiciam. *Pyrenæus mons*, inquit, *cùm altitudine penè cœlum contingat, asperitate cautium horreat, opacitate silvarum tenebrescat, angustia viæ vel potiùs semitæ commeatum non modò tanto exercitui, sed paucis admodum pene intercludat, Christo tamen auxiliante prospero itinere Carolus Magnus emensus est.* Alter est Venantii Honorii Clementiani Fortunati Presbyteri Italici, qui Pictaviensis in Gallia deinde fuit Episcopus, ex præfatione libri primi Carminum ad Gregorium Pontificem Maximum. *Ego*, inquit, *imperitus de Ravenna progrediens Padum, Athesim, Brintam, Plavem, Liquetiam, Tiliamentumque tranans, per Alpem Juliam pendulus, montanis anfractibus Dravum, Norico Birrum, Oeno, Breones, Lycum, Boiaria, Danubium, Alemania, Rhenum Germania transiens, ac post Mosellam, Mosam, Axonam, & Sequanam, Ligerim, & Garumnam Aquitaniæ maxima*

fluenta transmittens, Pyrenæis occurrens Julio mense nivosis, pene aut equitando, aut dormitando conscripserim: vbi inter barbaros longo tractu gradiens, aut via fessus, aut crapula brumali sub frigore Musa hortante, nescio gelida magis an ebria novus Orpheus Lyricus sylvis voces dabam, silvæ reddebant. GARVMNA.

Garumna igitur, vt Lurbei narrationem seu ordinem sequar, è Pyrenæis per duas valles Degarim & Dervam in *Consueranos* & *Convenas* descendit: oppidum illorum falsò Leodegari dicens, cùm Templum Episcopale Licerii, vulgò, *S. Licar*, appellari soleat: oppidumque ipsum, extra quod nec pomerium, nec vllum suburbanum ædificium est, Austria vocetur ab austro, quod nomen venti est ibi perflantis. Infra quod municipium, edito loco situm, planities cernitur, quam *Salatus* amnis modicus, lapsus è Pyrenæo irrigat, qui tandem in Garumnam labitur, qua de re in Notitia Episcopatuum Galliæ qua Francia est, iam diximus. In oppido S. Hieronymi Consue- *Conserans. Comines. S. Licar. Le Salat, r. S. Hieron.*

GARVMNA. *S. Hieron.*

ranorum super Salato amne talis inscriptio est.

D. M.
IVLIÆ SERGI
FILIÆ PAVLINÆ
M. SERGIVS PAVLINVS
MATRI PIENTISSIMÆ.

De Convenis nemo præclariùs scripsit Hieronymo Stridoniensi in libro adversus Vigilantium. *Nimirum respondet generi suo* (Vigilantius) *vt qui de latronum & Convenarum natus est semine, quos Cn. Pompeius edomitâ Hispaniâ, & ad triumphum redire festinans, de Pyrenæis jugis deposuit, & in vnum oppidum congregavit: unde & Convenarum vrbs nomen accepit: huc vsque latrocinetur contra Ecclesiam Dei & de Vectonibus, Arbacis, Celtiberisque descendens incurset Galliarum Ecclesias.* Ejusdem vrbis descriptio ab Aimoino Historico cap. 69. lib. 3. memoriæ tradita est. *Ea tempestate Gumdoaldus à Desiderio derelictus, vnà cum Mummolo, Bladaste ac Wadone sive Sagittario, Convenas vrbem ingreditur. Ea vrbs in cacumine præcelsi montis trans Ga-*

rumnam sita est, procul cæteris remotis montibus. Ad radices rupis fons oritur, cui imminet desuper turris altissima, quæ cives per cuniculum descendentes à læsione defendat hostium. Circumventus igitur memoratus vir ejusdem vrbis incolis, vt bona sua intra muros propter adventantem reconderent exercitum, dum illi ejus monitis paruissent, hac eos fraude decepit. Confingens enim hostes jam in proximo esse, ita eos affatur: En inimici, egredimini ad resistendum eis. Quibus digressis, expulso etiam Antistite, post eos clausit portas, seque ad repugnandum cum satellitibus parat. Idem auctor cap. seq. *Mummolus omnes thesauros diripiens vniversos, in diversis occubuit locis: dataque sequentis luce diei, hostibus portas vrbis aperuit: qui in tantam cædis exarsere insaniam, vt etiam sacerdotes Domini ad ipsa jugularent altaria, reliquosque civium cum ipsa concremarent vrbe.* Idem scriptor de Urgello civitate loquitur c. 83. lib. 4. in hunc modum. *Orgelli civitas est in Pyrenæi montis jugo sita; cujus Episcopus nomine Felix, natione Hispanus erat.* Adversùs eum

GARVMNA.

GARVMNA. Agobardus Lugdunenſis Archiepiſcopus libellum ſcripſit, vt publicatum ab eo errorem prorſus evelleret. Incensâ autem & eversâ Epiſcopali Convenarum ſede, cui Lugdunum nomen erat, ſucceſſoribus de tranſlatione cogitandum fuit, viſumque vt ex ruinis Convenarum in valle Capraria nova ſedes

S. Bertrand. conſtitueretur, cui *Divi Bertrandi* nomen impoſuere, qui primus ei Epiſcopatui præfuit, vbi marmora alba & cujuſcumque coloris plurima reperiuntur. Flumen verò iam

S. Beat. auctum aquis *Sancti Beati* vrbem prælambit, deinde circa pontem la-

La Creſte, r. pideum fluviolum *Criſtam* excipit,

Valentin. tum apud *Montem Regium & Valentinam* oppidum fluens, ſancti

S. Gaudens. Gaudentii vrbem alluit, Vicecomitatus *Nebosani* & Regii prætorii ſedem. Deinde in vrbem *Caſ-*

Nebosam.

Cazeres *rarum*, mox *Terraſſiam*, & circumiectos accolas alluit. Ab eo loco tribus ad ſummum milliaribus di-

Rieux. ſtant *Rivenæ* Joannis XXII. Romani Pontificis Episcopatum conſequutæ. Succedit ultima Convena-

Muret. rum vrbs *Muretum* tertio à Tho-

losa milliario, Albiensium improbatæ factionis Regisque Arragonum exilio nobilis. Inde patentes & fertiles campos rigans duobus milliaribus à Tholosa in vinculo S. Crucis *Aurigeram* fluvium excipiens arenulis aureis intermicantem, iam suis aquis & exteriùs valentior *Tholosam* Tectosagum metropolim alluit. Ea ab Ausonio deseribitur, innumerisque culta populis esse demonstratur. Eam verò vrbem sive præsidio, sive munimento instruit, & circumvallat, vt non solùm quadraginta aut plures ante eius mœnia frumentarias molas circumagat, sed etiam jumentis & hominibus salutarem potum præstet, & ab ea ingentibus pene par fluviis, omnis generis merces & divitias Burdigalam vsque devehat. In vita S. Saturnini hæc leguntur: *Abiit præterea ipse de Tholosa in alias provincias ad prædicandum verbum Domini, &c. Cumque pergeret de Tholosa ad Clisonam civitatem, venit ad vicum qui dicitur Villa clara, vbi postea ædificata fuit civitas, quæ Mons-auris dicitur. Et ibi audita beati Petri Apostoli pas-*

GARUMNA.

La Riege, r.

Tholose;

Adures.

GARVM NA. *Le Gers, r.*

sione, ædificavit Ecclesiam in honorem ipsius Apostoli super fluvium Gertanii. A Tholosa per Arvernos eorumque fines Lugdunum vsque numerantur sexaginta & quatuor leucæ, difficiles sanè propter obvios montes, quos trajicere oportet. Ab eadem in Ausciorum metropolim sunt decem, vsque ad sanctum Papulum Martyrem, vbi sedes est Episcopatus Lauracensis territorii, septem, aut vt aliis videtur, novem. Ausci quatuor tantùm Vasconicis à Lomberia leucis disiuncti sunt, eratque *Lomberia* monasterium ante Joannem Romanum Pontificem XXII. Tunc enim primùm Episcopatus & sui juris, tametsi sub Auscensi Archiepiscopo constitutus fuit. A Tholosa verò vsque *Castrum Arrii* vrbem satis vastam, multoque populo affluentem, & caput Lauracensium, leucæ quatuor Vasconiæ numerantur: nam à Tholosa ad id castrum octo leucæ Volcarum Tectosagum numerandæ videntur, vt eas meumur. Indeque ad S. Papulum vna tantùm restat. *Hictius* quoque dicitur amnis Arrii, qui per castrum

Castel-nau-d'Arry.

Hicie, r.

non fluit, & minor *Lertio* quodam- GARVM
modo videtur. Quem Hictium ad- NA.
jecta distinctione mortuum ex veteribus tabulis loci illius dicendum Arriensés aiunt. Ab Auscis Elusam septem metimur, sed Vasconicis. Tantum enim spatii est, quod Gallicas duodecim aut tredecim efficiat. Id oppidum in extremis finibus Ausciorum collocatum est. In qua diœcesi etiam est Prioratus dictus *de Elusore veteri verbo*, ordinis Cluniacensis. Archiepiscopus quoque Auscensis Elusæ domum habet, quæ instar arcis est. Elusa denique tribus leucis à *Nogarolio* Armeniacorum abest, quod nigrum dicitur. Nam Armeniaci superiores sunt propriores Auscis. Et Maseriæ ad hos pertinent, cum Nogaroliũ aliud ad diœcesim Ausciorum referendum sit. Sontiates etiam Ausciorum Præsuli obediunt, & apud Auscios est Prioratus ordinis Cluniacensis, cui Orielii nomen, opulentissimus. Lectoræ quoque Episcopatus sub Auscensi splendet, in qua vrbe Tribunal Seneschalliæ Armeniaci locatum est. In *Consuerana* paulò infra S. Lucinũ

GARUMNA. pons eſt, ſub quo fluit *Salatus* amnis, minimè patiens navigiorum, propter rupes & ſaxa. Iſque Garumnam tandem præceps decurrit. (*Salat, r.*

Caſtres *aſtrum* olim erat ſub Epiſcopatu Albienſi, & *Godonia* villa, in qua ſunt ſubterranea, ab *Aculo* amne etiam includuntur. *Vaurum* quoque eodem flumine alluitur, quod retro templum eſt, & impetum ejus ne noceat, retundit objecta magna mole adverſus vim ejus. A S. Pontio Tomeriarum, qui beati Cypriani agonem ſcripſit, vſque Pedenaſum quinque ſunt leucæ in regione montana, vnde quicquid marmoris in Narbonenſi colonia reperitur, olim effoſſum eſt, effoditurque hodie. Interque caſtra Vabrincum & S. Pontii in mediis pratis viſitur è præteuntibus altiſſima rupes, ex qua decidunt duo amnes, alter in *Obrin* flumen maréque Mediterraneum, alter in Garumnam, tenditque in Oceanum. A Tholoſa vſque *Montalbanum* ſeptem leucæ. Rurſum ab eadem Toloſa, Aginnum Nitiobrigum quindecim. Ab Aginno Neracium abeſt quatuor. Et ab eodem

Aigu, r. *La Vaur.*

Aginno Josephus Scaliger ibidem natus scribit novem leucas Lausum numerari solere, præter septem quibus Montalbanum à Tolosa distat. Ab Auscis Condomium vsque sex, Burdegalam triginta, *Muretum* tres, aut vt didici à nunciis publicis Tolosatum, quatuor, portum amœnum, amplumque vicum; adverso Garumna flumine duas. Tolosam verò Palladiam poëta Martialis appellat hoc versu: GARUMNA.

—*Palladiæ non inficienda Tolosæ Gloria.*

Baldus Jurisconsultus in l. *omnia privilegia*, Cod. *de Episcopis & Clericis*. honorificentissimè loquitur de Universitate Tolosana. Vaurum etiam abest à Tolosa leucis quinque. Hinc à læva Vascones, à dextera Gothicam Provinciam, quæ imperitè Occitania dicitur, aspiciens. Garumna *Granatum* Gaurensis præfecturæ vrbem attingit, in cujus vicinia *Savæ* fluvioli aquas, cujus fertiles sunt ripæ, suis admiscet, dein in *Rivarenses* progrediens *Verdunum* oppidum, neque longo intervallo Benedictinorum

Grenade. *Gaure.* *La Save, r.* *Mas de Verdũ.*

GARUMNA. *Caſtel Sarazin.* *Le Tarn, r.* *Moiſſac.* *La Foſ.* *LeGers, r.*

cœnobium ſuis vndis fovet; & eodem aquarum curſu pergens, relicto ad Orientem *Sarraceno oppido*, *Tarnem* fluvium prope *Mouſſiacum* monaſterium pleno alveo admittit. Per medios poſtea Aquitanos *Foſſanam* arcem egregiam & *Leyracium*, infra quod *Ægircius* fluvius ei permiſcetur, cujus deſcriptio ſequitur.

De Ægircio Flumine.

LeGers.

ÆGIRCIVS oritur in Pyrenæis & in Valle *d'Eſten* nuncupata, vbi decurrit; magna planicies conſpicitur, inde petit Panaſcum vicum, & oppidum Sancti *Manceaube.* *Chriſtophori Magnæ Sylvæ* in Comitatu *Aſtaracenſi*, *Aſtarac.* poſtea Auſciorum vrbem metropolim alluit, porteque iungitur: quæ loca in veri Vaſconia eſſe noſcuntur, vbi vulgò dicitur,

Lo no es bon Guaſconet
Se no ſabe dezi
Higue, hogue, hagaſſet.

Deinde ab Auſcis *Florentium* oppidum, & *Lactoratum* antiquitate, Epiſcopatu, pluribuſque monimentis nobiliſſimam vrbem etiam alluit, mox infra *Layracium* in Garumnam influit. Hic fluvius navigiorum minimè patiens, carpiones tamen alit, qui cæteris eius piſcibus excellunt. Nec auctorem alium à quo deſcriberetur, vmquam inveni, præter Fortunatum nondum Pictavenſem Epiſcopum, cùm Galliam luſtrans menſe Julio, id eſt ſummis caloribus, Pyrenæorum montes aſcendit. Verba ejus ſunt.

GARVMNA. *Lectore.*

Laus tibi fortè minor fuerat, generoſe Garumna,
Si non exiguas alter haberet aquas
Lubricat hic quoniam tenuato Ægircius hauſtu,
Præfert divitias paupere fonte tuas.
Denique diſſimilem ſi comparet vllus vtrumque,
Hic vbi ſit rivus, tu, puto, Nilus eris.
Te famulans intrat, ſed hunc tua regna refrænant,

latet.

GA-
RYMNA

Nam quantum Oceanum tumidis tu cursibus auges,
Ille tuas tantum crescere præstat aquas.
Torrida præsertim cum terris incubat æstas,
Ac sitiente solo tristis anhelat ager.
Cum Titan radiis ferventibus exarat arva,
Et calor ignifero vomere findit humum,
Languidus arentes fugiens vix explicat unda,
Et cum pisce simul palpitat ipse simul.
Flumine subducto vacuatus lambit arenas,
Sedibus in propriis exul oberrat aquis.
In lino migrante lacu consumitur amnis,
Terraque fit sterilis, quo fuit unda rapax.
Deficiunt vasto solatia cuncta rigore,
Nomine cum proprio tristis & ager eget.
Forte viator iter gradiens non invenit

haustus, GA-
Unde alios recreet, qui sitit ipse RVM-
sibi. NA.
Se cupit infundi fluvius, si porrigit undas,
Si tamen est fluvius qui madefactat humum,
Gurgitis impressas lambens rota signat arenas,
Atque resudantes orbita sistit aquas.
Si venias equitando viam sub tempore Cancri,
Vix tamen insidians ungula mergit equi.
Vidimus exiguum de limo surgere piscem,
Qui retinente luto naufragus erat humo.
Nec fluvius, nec campus adest, nec terra, nec unda,
Piscibus in mediis nullus arare potest.
Sola palude natans querulos dat rana susurros,
Piscibus exclusis advena regnat aquis.
At si fortè fluat tenuis de nubibus imber,

GARUMNA.

Vix pluit in terris, jam tumet iste minax.

Ingentes animos parva de nube resumit;

Fit subitò pelagus, qui fuit antè lacus.

Turbidus incedens undis egit ipse lavari,

Semper inæqualis, qui nihil, aut satis est.

Non ripis contentus, agit compendia cursus,

Quod de monte bibit per sata plena vomit.

Vertice torrentis rapitur quasi morte tyranni,

Indignatus iter munera vastat agri.

Discurrit seges in fluvio, stat piscis in agro,

Ordine perverso messe natante jacet.

Quæ fuerant ovibus, donantur pascua ramis,

Prata tenent pisces, & trahit unda pecus.

Obtinet expulsos stabulum campestre siluros,

Plus capitur terris, quàm modò

piſcis aquis. GARUMNA.

Sarcula quos foderent agros mala retia miſcent,
Figitur hîc hamus, quo ſtetit antè palus.
Sors una eſt, piſcis ſiccet, aut flumina creſcant,
Nunc reſidet limo, nunc jacet exul agro.
Sed cur triſte diu loquimur de gurgite parvo?
Uritur & verbis, nec recreatur aquis.
Sufficiat flagrare ſibi, cur addo vapores,
Atque bis æſtivum creſcere tempus ago?
Unica ſed tandem damus hæc ſolatia lacu,
Quod tribuit piſces evacuatus aquis.

Poſtmodum Garumna *Agianum* Nitiobrigum vrbem Epiſcopalem felicibus glebis præſtantem fœcundo lapſu ſtringens, fatiſcentibus pene horreis locupletat. Et quidem commendatur Aginnenſis provinciæ præfectura & Prætorio Regio, necnon memoria Phœbadii

La Garone. Agen.

GARVMNA.

veteris Episcopi, cujus meminit D. Hieronymus. Extant adhuc medio in flumine prope vrbem insignes pilæ lapideæ, quæ antiquitus ibi pontem erectum, & magnifici operis vetuſtatem teſtantur. Hæc civitas ſita eſt in regione pulchra, amœna, pingui ac fertili judicataque vna ex ditioribus & vberioribus Aquitaniæ totius, quòd eam irrigent tres amnes Oltus, Duranus, & Garumna: eſtque poſita in patentibus & latiſſimis campis. Videamus quid de ea Julius Cæſ. Scaliger ſcribit, qui Aginni domicilium ſedemque ſtudiorum fixit, Episcopi Aginnenſis de gente Roverorum liberalitate adductus. *Agennum oppidum eſt Aquitaniæ, vt incolæ jactant, princeps. Cæterùm neque hiſtoriarum, neque vllius memoriæ fide, ea fama illuſtris eſt. Nominis umbra modò Ptolomeo, Plinio, ſi tamen Ageſinates iidem ſunt, nota. Ager vbertate ſoli incertum eſt proſit ne magis incolis, an officiat: ita annonæ ſpe ſuſpenſi, omnia munia, non civilia ſolùm, ſed ruſtica quoque negligunt. Propterea animi cultui minus ſtudent.*

Si quis tamen ad literarum studia sese applicat, lucro illectus agitur eam in partem, cujus ope fortunarum suarum promoveat gradum. Id unum hîc intuemur, ut acceptum patrimonium ampliore censu faciamus. Et ne vnus quidem liber venalis habetur, præter Justiniani proventum, & Grammatices rudimenta. Per octoginta amplius milliaria ab extremo vsque orbe mihi petenda fuit interdum bibliotheca, Basilea, Florentia, Venetiis, atque Roma. GARVMNA.

Hæc de Aginno Jul. Scaliger tradit in oratione pro Marco Tullio Cicerone contra Ciceronianum Erasmi.

Habet autem in Vasconia ad meridiem Auscios, Lectorenses, Elusates, & Sontiates Romanorum monumentis satis cognitos, quorum hi exiguam vrbem incolunt à Tholosa distantem decem & octo milliaribus, ab Auscis novem, tribus à Condomo, quam mansionem Heliæ Vineto autori doctissimo viro tribui notum est. Postea sub Novempopulorum nomine comprehensos, nunc verò Armeniaci Comitatus accolas. Ab Aginno Garumna ad oppidum *Mariæ Virginis*, *Migu i. leo.*

GARVMNA. indeque ad Acilionem vrbem, irrita Joannis, poftea Regis Francorum, & tunc Ducis Normanniæ, quatuordecim menfium obfidione memorabilem, progreditur. Eft è regione hujus oppidi *Balifa* fluvius, poftquam & *Condomienfes* & *Neratium* Albretiorum regnum fubiit, tranquillus fuas vndas Garumnæ infinuat, & ex adverfa ripa prope mœnia Aguillioni primum acceffione Oldi fluvii intumefcit, ifque eft fecundus amnis quo Garumnam grandiorem fieri fcribit Strabo, etfi eum non nominat. Ab hoc oppido ad *Tonenfium* vrbem vno milliari diftantem, & è regione fitam devolvitur, inde *Calmuntium* infignem & præclaram arcem gentis Calmuntiorum in Condomienfi præfectura; denique *Marmandam* vltimam Aginnenfis provinciæ vrbem, hinc per medios Vafates fluens *Sanctæ Baftlie* oppidum attingit, & *Regulam* vrbem atque monafterium opulento Benedictinorum Cœnobio notum, fuis fructibus alit & juvat. Dimidia autem leuca à Regula fluit par-

La Baifle, r.

Tonon.

Caumont.

Marmande.

S. Baftle.

La Reolle.

vus amnis, *Drot* vulgò dictus, non longè à vico Girunda. Aimoinus de *Codrotio*, capite 19. vitæ Abbonis Philosophi, Abbatisque Floriacensis. Ad *Dordanæ* fluenta ventum est, quo enavigato amne Vascones sunt antequam ad Regulæ veniatur monasterium. Codro torrens occurrit. Idem Aimoinus de miraculis sancti Benedicti eiusdem fluvii etiam meminit cap. 19. eodemque loco cap. 20. *Monasterium Regulæ*, inquit, *in honore Principis Apostolorum Deo dicatum, in monte est positum. Qui videlicet mons à tribus lateribus orientali, aquilonali, & occidentali aliis cingitur montibus, à Meridie Garumna vallatur flumine, periculosoque vallis voragine: ab Oriente inter ipsum & alterum montem vallis existit perangusta, per quam fons meat, quam incolæ Mosellam nuncupant. Simili modo ab Occidente alterius fontis rapido alluitur cursu, cui Mosa nomen est. Hæc nomina à Francis illis imposita æstimantur qui à magno Carolo, ad tuitionem provinciæ ibi relicti sunt. Non longè quippe ibi abest palatium ipsius magni Principis*

GARVMNA.
La Drot r.
Codrot, r.
Dordogne.

GARVMNA. Cassenoles. *Cassignogilum, sed quasi tribus milliariis, in quo idem Imperator vxorem suam Ludovici Pii matrem, gravidam reliquit, dum contra Sarracenos expeditionem in Hispaniis ageret, quod & Eynardus vitæ illius relator scribit, & nos in libro miraculorum sancti patris Benedicti breviter expressimus.* A Regula igitur Gerundam vicum & arcem ejus nominis, è cujus latere Fluviolus nomnine *Drot*, qui per *Duratium* & *Seguri-montis* vrbes insedit, multasque molas frumentarias agens permiscetur. De quibus Droto & Gerunda, aliisque fluminibus Galliæ, hos versus scripsit Poëta nescio quis:

Drot, r. Montsegur.

Tu n'as rien veu que le Drot & Gironde,
Bien-tost verras la Charante profonde,
Loyre au cours long, Seyne au port fructueux,
Saoune qui dort, le Rosne impetueux,
Aussi la Somme, & force autres rivieres,
Qui ont les bords de maintes villes fieres.

In primo autem versu, quo ait, nihil vidisti præter Drotium & Girundam, postremum verbum accepit non pro vico, sed pro flumine, qua in re communi errore deceptus est: sunt enim qui insano vulgi errore, & aliquot chirographorum auctoritate ducti putent ab hoc vocabulo Garumnam omnium fluminum Aquitaniæ principem, proprium nomen mutuasse, & à Burdigala ad Oceanum, in quem labitur, Gerundam nominari putent, cujus tabulæ nulla est ratio. Atque ea quæ sunt à veteribus instituta, immutare ridiculum videtur; præsertim cùm notissimum sit, in præcipuis Ecclesiarum membranis, atque in tabulario regio, Garumnæ nomen illæsum permansisse; idque Lurbeus Burdigalensis affirmat. Redeamus ad ignotum Poëtam. Citò, inquit, videbis Carantonum profundum atque altum, secundò Ligerim longissimi cursus, tertiò Sequanam mercimonia & fructus quamplurimos ferentem, quartò Ararim ob resides aquas dormienti similem, & cum eodem Rhodanum

GARVMNA.

GARVMNA. *La Somme.*

impetu curſuque rapidum. Quintò & ſextò Somonam alioſque amnes qui plurimas vrbes alluunt. A Gerunda viculo fertur Garumna ad *Caldeerolium* oppidum, indeque ad antiqui operis Caſtellum nuper bellis civilibus dirutum, & prope modum ſolo æquatum: ab hoc tribus aut quatuor milliaribus ad ſummum diſtat Coſtio Vaſatum vrbs antiqua. Auſonius cùm de patre ſuo loquitur ait:

Caudeerotr.

Coſtio Vaſatum municipale genus,

Sidonius lib. 8. epiſt. 12. *Tantumne te Vaſatium civitas non ceſpiti impoſita, ſed pulveri tantùm Syrticum ager ac vagum ſolum, & volatiles ventis altercantibus arenæ ſibi poſſident, ut te magnis flagitatum precibus, parvis ſeparatim ſpatiis, multis expectatum diebus, attrahere Burdigalam non poteſtates, non amicitiæ, non opima illa vivariis oſtrea queant?*

Auſonius Edyllio 3.

Vicinas vrbes colui patriâque domoq;
Vaſates patriâ, ſed lare Burdigalâ.

Paulinus Auſonio epiſtolâ 15.

Quique ſuperba tuæ contemnis mœnia Romæ,

Consul arenosas non dedignere Vasatas. GARUMNA.

Marcellinus lib. 15. *Novempopulos Ausci commendant & Vasatæ.* In Vasatensi verò præfectura Judex regius Præturam habet, Costioque ipsa municipium dignitate Episcopali ornata est. Inde Garumna oppidum Divi Macharii in Viviscis, & paulò pòst à læva *Alingonis* portum ultimam Vasatensium vrbem prætermittit. Sidonius lib. 8. epistolâ 13. *Post hæc portum Alingonis tam piger calcas, ac si tibi nunc esset ad limitem Danubinum contra incursores Massagetas proficiscendum.* Paulinus ipse epistolâ ad Delphinum; *Fatemur venerandæ pietati tuæ legentibus nobis illam epistolæ partem, qua Alingonensis Ecclesiæ nouam filiam te autore progenitam jam in nomine Domini vsque ad dedicationis diem crevisse, singulas ita excitasse spiritum nostrum in Deo salutari nostro, vt tamquam in præsentibus cœtibus dedicantium interessemus.* Et epistolâ ad Amandum: *Rogo vt epistolam meam ad filium nostrũ Daducium, etiamsi in Galliis agit, sine vlla dilatione facias ab Episcopo transmitti per*

Langon.

GARVMNA. *conservum fidelem & impigrum, si clericum fortè noluerit occupare vnum de Alingonensibus dignamini mittere cum epistolis vestris, quibus litteræ nostræ juventur.* Et paulò infrà: *Ecce jam Leontius meus facilè primus Aquitanorum, ecce parum inferior parente Paulinus ad locum, quem supradixi per Garumnæ fluentare fluentia, non modò tibi cum classe, verùm etiam cum flumine occurrent. Hæc omnia conveniunt, nunc è Vasatibus Tigretium vult attrahere Burdigalam flumine, vt evitet pulverem Vasatium.* Macharii verò oppido Garumna Oceani æstuantis fluxus & refluxus suscipit, bisque intra viginti quatuor horas vndas evomit suas, & resorbet: sic progrediens duobus ab illo municipiolo milliaribus collem testaceum subter Basilicam parochiæ Sanctæ Crucis prætervehitur, in quo innumera ostrea vacua quidem, sed vera & genuina reperiuntur. Nec procul, sed ripa adversa visitur *Ciron*, fluviolus nobilis, qui è Vasatis erumpens, & grandibus luciis & percis, quas delicias mensarum vocat Ansonius, atque pluribus

Ciron, r.

moletrinis populares suos juvans, in Garumnam effunditur. In Vasatibus quoque sitæ sunt bellissimæ domus *Durassensis*, & Templa duo Clementis V. quæ Garumnam respiciunt. GARVMNA. *Duras.*

In secundo verò flumine Garumna *Cadillacum* gentis Candalliæ domicilium, *Pondensacum* & *Riuntium* vrbes præterit, atque inde se in plures alveos scindens, factisque non paucis insulis Burdigalam tandem celeberrimum Aquitaniæ emporium totis veluti vlnis amplectitur. Michaël Hospitalis doctus & gravis Poëta: *Cadillac. Podenzac. Rions.*

——— *Terraque marique potentem*
Burdegalem, portus vbi fluminis vnda capaces
Mille carinarum facit æstu inflata marino.

In Itinerario à Burdigala Hierusalem vsque, & ab Heraclea per Aulonam, & per vrbem Romam Mediolanum vsque ante annos mille ducentos simpliciter scriptum editumque ex antiquissimo exemplari anno 1588. à Petro Pitheo Jureconsulto Tricassino & amico meo, hæc

GARVMNA.

pauca de Burdigala traduntur. *Civitas Burdigala, vbi est fluvius Garumna, per quem facit mare Oceanum accessa & recessa per leucas plus minus centum, ita tamen ad Burdigalæ littus suas vndas exporrigit, vt lunato sinu bicornum portum effingat, idcirco ab exteris Portus lunæ dicitur.* Hoc vnum silere non possum, quod cùm ab ipsis Garumnæ fontibus ad littus Santonum ripa quæ Occidentem spectat, collibus amœnissimis assurgat, non solùm vitibus, sed & variarum arborum genere consitis, tum maximè Burdigala inter cæteras hoc ornamento decora splendeat; ex adverso enim inter vitiferos colles eminet clivus in orbem & occidentem, hoc vsu perantiquo præ cæteris visendus, quòd ab vltima antiquitate hic mos ibi servatur, vt qui Burdigalam vinum aut aliud quid mercis exportaturi veniunt, illis solvere non antè liceat quàm cupressinum ramum à Quæstore Regio acceperint. Quo facto pendit quælibet navis quinque asses sive solidos Turonenses, quod vectigal ramum vocant. Id

Burdigala vrbe, Garumna jam latior factus, & magni in speciem freti receptis fluviolis *Burda* & *Gala*, lucio pisce & moletrinis valde commodato, ad Promontorium quod accolæ vocant *Becdambez*, porrigitur. Ibi *Duranius* sive *Dordonia* fluvius Garumnam conveniens, nec alvo nec æstuoso aquarum impetu diffusus magis, totum eum terrarum tractum humectat. Exin à dextera perpetuo semper colle & vitium cultu fertili ad *Blaviam* oppidum arcemque munitissimam pertingit, quatuordecim à Burdigala, & ab ostio Garumnæ triginta milliaribus. Ausonius in Epistolis:

GARVMNA.
Burda.
Gala.
Becdambez.
La Dordogne.
Blaye.

Aut iteratarum quâ gloria trita viarum
Fert militarem ad Blaviam.

In vita Gregorii Turonensis; *Causa*, inquit, *fuerat qua Germanam flumen juxta castrum Blaviæ transmeare debuerat, sed idem fluvius ita tunc intumuerat, vt intuenti non parvum terrorem incuteret.* In qua vita *Germanam* Librarii pro *Garumnam* mendosè scripserunt. Erat autem Blavia olim sub dispositione viri

GARVMNA. ſpectabilis Ducis tractatus Armoricani, vt videre licet in Notitia Imperii Romani, & hodierno die cuſtodes vigileſque habet perpetuos, qui ex eodem loco tamquam ex ſpecula' quid tota Garumna rerum afferatur, diligenter obſervent, inolevitque mos ab expulſis Aquitaniâ Anglis, in hunc diem, vt minimè his liceat navibus Burdigalam tendere, etſi priùs ante Blaviam ſupparum & reliqua vela ſubmiſerint, & poſitis anchoris tormenta ænea conſignarint, arciſque Præfecto ſingularum navium ergò aureum perſolverint. Hinc à dextra littus Santonicum continuo veluti jugo vſque ad Garumnæ oſtia prominet. Non deſunt autem in eo littore oppida & portus, ad quos appellunt qui Santones eunt Burdigala, necnon arces munitiſſimæ. Hujuſmodi ſunt *Caunacum* & *Mauritaniæ* principatus. Exin *Talemundum* oppidum & portus non infrequens inter *ſancti Severini* & *Meches* vicum, non tam agricolis, etiamſi in infertili ſolo, quàm nauticis celebres. Supereſt extremum littoris Santonici in Garumna oppidum

Caunac
Talmōt

pidum *Roianum*, parvum quidem, sed munitissimum, & contra subitos pyratarum impetus paratissimum. Juxta hoc oppidum frequens piscatio trichiarum, quæ recentes à Burdegalensibus & à tota vicinia in deliciis habentur. Restant *Alvertini* littoris accolæ, cujus maxima pars arenaceis montibus assurgit, quibus plurima ædificia, quæ antiquitus apparebant, tamquam maris haustu obteguntur. E regione verò, altera pars ad *Medullos* pertinet. Ausonius Theoni:

GARUMNA. *Royan.*

Medoc.

Puppe citus propera, sinuosaque lintea veli
Pando, Medullini te feret aura noti.
Expositum subter paradas, lectoque jacentem,
Corporis ut tanti non moveatur onus?
Unus à Domnotoni te littore perferet æstus,
Condatem ad portum si modò deproperes.
Inque vicem venti quotiens tua flamina cessant,

GARVMNA.

Remipedem jubeas protinus ire ratem.
Invenies præſto ſubjuncta petorita mulis,
Villa Lucani mox potieris aco.
Reſciſſo diſce componere nomine verſum,
Lucilii vatis ſic imitator eris.

Primum à Burdigala ad ripam Garumnæ vicum ab incolis dictum *Macaum* ex adverſo Duranii oſtii habet. Inde Auſonii *Pauliacum*, portu non infido, ad extremum Arx *Caſtillionea* & *Solacum*, quod antiqui dixere *Noviomagum*: à quo non longè diſſitus ſinus, quem Garumna prope ipſum oſtium efficit, Verdunum ab incolis dictum. Eo loci ſtatio bene fida carinis, ingruente præſertim Africo, qui Oceano Aquitanico atrox, ſævus & infeſtus. Etſi autem Garumna in ipſo oſtio propter ſcopulorum & ſabulorum ſyrtes periculoſus videatur, tamen Oceanum vel Garumnam intrantibus triplicem veluti faucem aperit, qua ingreſſum vel exitum minimè metuendum præſtat, ſcilicet à latere Medulorũ, paſ-

ſum, quem Glareoſum vocant, & in ipſo oſtii meditullio Aſinorum qui à navigantibus frequentiùs teritur, & à littore Santonico *Foramen Maubuſſonii & Coveræ*, quæ à Rupella & ab inſulis Santonicis aditum & reditum permittit. Deſideratur autem hodie in ipſo Garumnæ oſtio *Antros* inſula à Pomponio Mela commemorata, ſive maris fluctibus, ſive arenæ motibus abſorpta fuerit. Putarim ego tamen reliquias ejus inſulæ eo loci ſupereſſe, vbi Pharos ingens à multis ſeculis conſtructa eſt, navigantium curſum regens, quæ *Corduana Turris* vocatur. Ea cùm imbrium & ventorum tempeſtate, necnon inſanis Oceani fluctibus ruinam minaretur, tamen Principis beneficio, & impenſis publicis inſtaurari hoc tempore, vt Lurbeus ait, cœpta eſt, ſed adeò egregia & divite opera, vt ipſam Alexandriæ Pharon tot ſcriptorum & ſeculorum fama præſtantem ſuperet. Ex qua lucerna accendenda duobus Eremitis mandatur, quibus alimenta, ſigno dato, ex vicino oppido vel

GARVMNA.

Le Pertuis de Maubuſſon.

la Tour de Cordoan.

GARVMNA. pago deferuntur, ex vectigali quod à singulis navibus ejusce rei gratiâ Burdigalæ penditur. Hinc ad montes *Arenarum* regio latè patet, quæ tam sunt exiles minutæque, ut à vento concitatæ hac & illac impellantur, exiliantque vsque adeò, vt patrum nostrorum memoriâ, furente ventorum flatu, una aut altera parochia obruta opertaque fuerit, sola templi parte excepta. Ex eo eventu Templum Divi Joannis ab Arenis nominatum est. Illic in cacumine arborum lepores, apros, damas, cervos, atque alia exteris incredibilia conspicias: cujus rei fides esto penes Alanum Santonicum. Non paulum autem à fertili Santonum gleba distat Medulorum solum arenis & pulvere squallidum, quibus, vt ait Ausonius,

——— littus arandum
Oceani finem juxta, solemq; cadentem
Vilis arundineis cohibet quem pergula testis.

Scatent enim æstuaria paludesque Medulorum arundine, ex qua plebi inopi parantur ædificia; abundant

tamen *Meduli* pecore, secale, & milio. Bernardus cognomento Allianus, Historiæ Gallicanæ scriptor, apud Medulos natus, mihi retulit Medulos non esse insulam, vt ferè opinio est, sed continentem regionem planè infertilem; abundare tamen subere, pice, resina, tædis, & ejusmodi rebus. Nec ea pars quæ littori proxima est, caret vitibus, sicut & prope Solacum non desunt salinæ, necnon quàm proximè in ipso Garumnæ ostio frequens est ostreorum piscatus singularis & suavissimi succi, quæ Burdigalenses Glareosa & Solacensia appellant, quorum Ausonius his verbis meminit;

GARVMNA. *Medoquins.*

Sed mihi præ cunctis ditissima, quæ Medulorum
Educat Oceanus, & quæ Burdegalensia nomen
Vsque ad Cæsareas tulit admiratio mensas.

Notandum est autem ex Sidonio epistolâ 12. lib. 8. fuisse olim Burdigalæ ostreorum vivaria, quemadmodum & in Italia pluribus in locis. Opimata enim vivariis ostrea vocat, dum Tigretium ad subju-

GARVMNA.

gandos Medulicæ supellectilis epulones invitat his verbis : *Veni cum Mediterraneo instructu ad debellandos subjugandosque istos Medulicæ supellectilis epulones. Hic ad copias Lapurdensium locustarum cedat vilium turba cancrorum.*

Ausonius Theoni cùm triginta ostrea grandia quidem, sed tam pauca misisset,

Ostrea balanis certantia, quæ Medulorum
Dulcibus in stagnis reflui maris æstus opimat;
Accipe, dilecte Theon, numerabile munus.

Idem Paulo suo:

Ostrea nobilium senis sumptuque nepotum
Cognita, diversaque maris defossa profundo:
Aut refugis nudata vndis, aut scrupea subter
Antra, & muriceis scopulorum mersa lacunis.
Quæ viridis muscus, quæ dedecor alga recondit,
Quæ testis concreta suis, cum saxa cohærent:

Quæ mutata loco, pingui mox condita limo, GARVIA NA.
Nutrit secretus conclusa vigilinis humor,
Enumerare jubes, vetus ô mi Paule sodalis.

Deinde paucis interpositis:

Enumerabo tamen famam testesque sequutus
Pro studiis hominum semper diversa probantum.
Sed mihi præ cunctis ditissima quæ Medulorum
Educat Oceanus, quæ Burdigalensia, nomen
Usque ad Cæsareas tulit admiratio mensas,
Non laudata minùs nostri, quàm gloria vini,
Hæc inter cunctas palmam meruere priorem.
Omnibus ex longo cedentibus ista, & opimi
Visceris & nivei, dulcique tenerrima succo,
Miscent æquoreum tenui sale tincta saporem,
Proxima sint quævis, sed longè proxima multo

GA-
RVMNA

Ex intervallo, quæ Maſſilienſia portu
Quæ Narbo ad Veneris nutrit, cultuque carentis
Heleſpontiaci quæ protegit æquor Abidi,
Vel quæ Balanis pendent fluitantia palis,
Sanctonico quæ tecta ſalo, quæ nota Genonis,
Aut Eborum mixtus pelago quæ protegit amnis:
Ut multo jaceant algarum obducta receſſu,
Aſpera quæ teſtis & dulcia farris opimæ.
Sunt & Armorici qui laudent Oſtrea ponti,
Et quæ Pictonici legit accola littoris, & quæ
Mira Caledonius nonnunquam detegit æſtus.

Medulis contigui Boii, quos Paulinus piceos nominat, infeliciſſimo ſolo habitant: in quo nihil præter arenam, ſabuleta ac pineas ſilvas invenias: quibus tamen ex pinetis, quæ reſinam & picem ferunt, vberem quæſtum faciunt. Horum

enim maximam copiam Burdigalam singulis Veneris diebus rusticani carris advehunt. Atque inter Burdigalam & Baionam regio abundat pinestris silvestribus. Pertingunt autem Boii ad Oceanum juxta promontorium *Curianum*, ita à Ptolomeo dictum. Eoque loci *Leria* fluvius è Vasatis in Oceanum defertur. Idem scriptor Ausonius Ædilio nono:

GARUMNA.

Cap de Busch.

Leyre, r.

Inspeciem cùm me patriæ cultumque nitentem,
Burdigalæ blando pepulerunt omnia visu.

Cui Paulinus ita respondet epist. 15.

An tibi, mi Domine illustris, si scribere sit mens,
Qua regione habites, placeat reticere nitentem
Burdigalam, & piceos malim describere Boios.

Antoninus in Itineratio, ab aquis Tarbellicis Boios Burdigalam vsque numerat mille passus sexdecim, enumerantur leucæ decem, & Boiorum caput certum est septem tantùm leucis à Burdigala abesse,

GARVM NA. si iter terrâ conficias.

Ora autem Aquitaniæ maritima à Burdegala Baionam pergentibus protendit in leucas triginta, & alioquin infructuosa & sterilis: abundat tamẽ melle, lacte & subere. Quod spacium & longitudinem itineris incolæ atque exteri appellant Hispanica voce *llanas*, id est planiciem, seu Aquitanicas *Landas*, steriles & infructuosas. Itaque Garumna circiter centum & sexaginta milliaribus sive octoginta leucis Vasconicis à Pyrenæo ad Oceanum fluens, tot ingentes belli pacisque artibus populos suis fluctibus alluit, magnarum vrbium fastigio superbit, & gemino præcellens Senatu, patentes campos saginat, navigiis suorum & omnium exterarum gentium commercia juvat, facilemque aditum & reditum præbet, ut non immeritò fluviorum eximius dicit possit Salve itaque Rex fluviorum. Hoc te iterum versu cum Vivisco Poëta compellare libet,

Dicamus lætio per rura virentia tractu
Felicem fluvium Oceanique sacrem

mus in undis.

GARUMNA.

Ptolomæi hæc sunt verba; *Post Occasum Pyrenes promontorium Atturii fluminis ostium, Curianum promontorium, Sigmani Garumnæ fluminis ostium.* De Atturio flumine Curianoque promontorio jam diximus. Restat igitur de Sigmano dicere. Mihi percunctanti à quodam erudito viro in illa ora maritima educato, natoque, ubi putaret Sigmanum esse, respondit, Templum virginis Achassoniæ esse super exiguum rivulum, qui juxta id Templum Achassonis, nec procul influit in sinum maris, isque locus est inter Burdigalam, & quas Landas viatores vocant.

GARVMNA.

LERTIVS.

Lers, r. QUI Eiria Plinio fuit, nunc Lertius vocatur, fluitque è montibus Fuxensium ex alta rupe, ac fons ejus *Bellestarii* natus abluit *Mazeriarum* planiciem, postea inter *Mirapineum* vrbem Episcopatu insignem, & Castellum, labitur, singulis diebus crates lignorum quatuor aut quinque mensium spatio in Aurigeram, atque inde Tholosam defert, magno ejus vrbis commodo. Vicies quater nascitur, totidem moritur; siccam enim originem ipsius transire licet spatio semihoræ, mox recurrente alia semihora rapiditate ejus ferri non potest. Fluctus enim ejus spumosus renascitur, ac famosiores fluvios cursu vincere aut æquare contendit. Fluctus inquam arte numerandi præstantes qui natura observant tempus tanta securitate, vt id absque horologio quotidie metiantur; ita enim describitur ab

Belestat Mazeres. Mirepois.

eximio Poëta Bartassio, cujus hi sunt versus; GARUNNA.

Mais tout ce que j'ay dit en merveilles n'approche
Aux merveilles du Lers quand il sort de sa roche.
——— Contemplant la fontaine
Qui lave de ses flots de Mazeres la plaine,
Et née à Bellestat, non loing des monts de Foix
Le peuple Tholosain certe pourveoit de bois,
Chaque jour que Phœbus parfaisant sa carriere
Sur les deux horizons reconduit la lumiere:
Son eau porte radeaux durant quatre ou cinq mois,
Vingt & quatre fois naist, meurt vingt & quatre fois
A sec on peut passer demie heure sa source,
Et demy heure apres on ne peut de la course
Soustenir la roideur; car son flot escumeux
Naissant, tasche esgaller les fleuves plus fameux.

GARVNNA.

Flot docte à bien compter, qui garde par nature
Le temps si seurement sans horloge, mesure.

Nec scio quicquam similius quàm locum illum Senecæ in Tragœdiis :

——— Euripus vndas
Vertit instabiles, vagus,
Septemque cursus flectit, & totidem refert
Dum lassum Titan mergat Oceano [*iubar.*

Vidi ego apud *Altamcumbam* in Sabaudia Monasterium ingens ordinis Cisterc. fontem quem vocant Mirabilium, qualibet hora bis fluere, & bis siccari solitum. Et cùm fluere incipit, ingenti murmure sonoque erumpere, ac statim moletrinam agere antequam in subjectum *Lacum Burgitem* influat: in cujus fontis margine quatuordecim menses assedi quotidie vnâ horâ, vt oblectandi animi causâ rem tam mirabilem tamque stupendam contemplarer. Lertius verò in Aurigeram labitur prope Templũ *S. Gauvillæ*, & permixtis aquis suis à Garumna accipitur Largior est, nec ad-

modum altus, & propter rapiditatem formidabilis. Satis piscium habet, maximéque tructarum. Et alius omnis non dissimilis nomine supra Castrum novum Arrii. GARVMNA.

Oldus, sive Oltus, sive Olitis. Le Lot, r.

OLDVS à montibus Cevennicis, non vt Lurbeus putavit, iuxta oppidum S. Flori, quod quidam, vt ipse ait, Gergoviam Cæsaris imperiti fuisse perhibent, scaturiens, continuo cursu Ruthenos à Cadurcis dividit; inde relictis à tergo Petrocoriis, Aginnates Nitiobrigum intersecans, à Garumna tandem excipitur, ortus in Gabalis tribus à Mimate milliaribus in vico Olleto, aut paulò suprà, sed ab eodem Olleto rivulus fluens in eam decurrit. Mimate autem sita est in profunda valle & flumen distat ab ea quantum sclopeti ictus ferre potest & à Losera altissimo monte Gabalorum non longiùs abest dimidia leuca. Planicies vallis in milliare-

GARVMNA. extenditur, abestque Mimate ab Avicio duodecim milliaribus, à Ruthenis totidem, à S. Floro tantumdem.

Theodulphus Aurelianensis Episcopus, virque doctus, de Carolo magno loquens sic ait:

Cui parent Walis, Rhodanus, Mosa, Rhenus, & Oenus,
Sequana, Wisurgis, Guarda, Garumna, Padus,
Mosella, Liger, Wulturnus, Matrona, Ledus,
Ister, Atax, Gabalus, Olitis, Albis, Arar.

Hæc in Paræneſi ad Judices data memoriæ mandavit.

Primùm igitur à *Boilaco* oppido, cujus mœnia lambit nobile & antiquum naturâ loci egregiè munitum oppidum, *Uxellodunum* in eodem Cadurcorum agro positum, veluti ex inferiori loco salutat. A primaria Cadurcorum vrbe, quæ *Ducona* à Ptolomeo dicitur, situm est *Uxellodunum*, à qua septem tantùm leucis distat, quod nunc *Podium Xolduni*, quæ vox in editum collem significat, & vitibus

Vxeldũ dit le Peu.

consitum, quo Franciscus Roaldes Cadurcensis Academiæ præclarum decus deduxit Petrum Pithoeum Tricassinum, tunc studiosum iuris, & mihi postea amicum. Nunc autem Castellum Uxellodunum appellatur *Cadenatum*. Fons, cuius Cæsar memini, tibi adhuc visitur: visuntur & ruinæ veteres in loco Uxelduno ab accolis, qui Cadenato penè contiguus est. In libro 8. Auli Hircii Derelictorum à Caio Julio Cæsare de bello Gallico hæc reperio: *Cùm*, inquit, *contra expectationem omnium Cæsar Uxellodunum venisset, oppidumque operibus clausum animadverteret, neque ab oppugnatione recedi videret vlla conditione posse, magna autem copia frumenti abundare oppidanos ex perfugis cognosceret, aquæ prohibere hostem tentare cœpit. Flumen infimam vallem dividebat, quod pene totum montem cingebat, in quo positum erat præruptum vndique oppidum Uxellodunum. Hoc avertere loci natura prohibebat; in infimis enim sic radicibus montis ferebatur, vt nullam in partem depressis fossis*

GARVMNA.

GARVMNA. *derivari posset. Erat autem oppidanis difficilis & præruptus eo descensus, ut prohibentibus nostris, sine vulneribus ac periculo vitæ neque adire flumen, neque arduo se recipere possent ascensu.* Pluribusque de reliqua obsidione interpositis, cùm Cæsar omnis & militaris scientiæ labore atque operibus locorum vidisset difficultates, tandem necessitate coacti ei se dederant, armatisque Cæsar, vt testatus esset pœna improborum, manus præcidit, vitam reliquis. De fonte autem ait: *Ad postremum cuniculis venæ fontis intercisæ sunt atque aversæ, quo facto repente perennis exaruit fons.* Ab Uxelloduno Oldus post aliquot arces & viculos

Cahors. *Cadurcum* Cadurcorum in Aquitania prima Metropolim perlabitur. In iisdem Cadurcis leuca vna *Martelli* oppidum distat à Podio Uxelduni. De quo referendum etiam existimo hunc Eutropii locũ: *Uxellodunum oppidum in editissima montis arce pendebat, duabus partibus per abrupta latera cum parvo flumine augebatur, medio deinde descensu largissimo fonte.* In vrbe ipsa Cadur-

corum locus est qui appellatur vulgò *las Cadurcas*, vbi visuntur vestigia aquæductuum, & rupes perforatæ, ruderaque excellentis amphiteatri. Epistolam Desiderii Cadurcensis Episcopi ad Cæsariũ etiam Episcopum extare scio in hunc modum: *Credo quòd nec vos lateat qualem egestatem de aqua, quam fons præbeat in hac Cadurcina civitate, habemus. Sed voluntas nobis inest vt per tubos ligneos subterraneo officio ad ipsam civitatem aquam ducere debeamus. Proinde quia novimus quod peritos ex hoc artifices haberes, precamur vt compendium de ipsis faciatis. Agat Apostolica Dignatio vestra taliter tam de præclara monitione, quàm & de vltima suggestione, sicut nos in omnibus efficaciter de parte vestra confidimus. Incolumen Pontificatum vestrum divina Pietas custodiat.* In ea Martialem Apostolum Aquitanum prima religionis Christianæ fundamenta iecisse literarum monimentis proditum est, sedisque Cadurcinæ meminit Ausonius in professoribus Burdigalensibus. Ante autem vrbis mœnia Oldus ipse trajicitur

GARVMNA.

GARVMNA. tribus lapideis pontibus, nec navigiorum patiens est, quia obstant rupes & saxa ingentia navigationis cursum impedientia. Et hoc quidem flumen Cadurcum alluit, piscium non admodum ferax; nutrit barbatulos, lucium nec vllum quidem habet, nec aliam causam accolæ proferre solent, quàm interdicto Ambrosii Cadurcensis Episcopi sancti viri id factum, cùm luciorum piscationem vetuisset quasi sibi minimè placentem: quod fabulosum putarim. Cùm verò Oldus Gabalis fluat, anno 1566. alta rupes prope Pomerolium in ejus alveum decidit, ac viginti quatuor horas cursum fluminis impedivit, extinctis piscibus, erupit tandem miraculo omnium gentium, à partibus illis, de quibus diximus; arces & Castella *Bassum* & *Anglarum* percurrens, duo oppida non longè dissita. Hinc transmissis Cadurcis per Aginnatum agros intra suas depressus ripas, & cum asperis cautibus colluctans primò *Fumellum* oppidum & arcem suis fluctibus transmeat: dein

Bas. Anglar.

Munsemprunum Prioratu opulento insigne, & continuo cursu *Lustracium*, & *Ferrassonium* antiquas familiæ Lustracensis arces, nunc Regulorum Calmuntiorum patrimonium, stringit. Exin *Pennæ* vrbis Regiæ radices loco editissimo situ perlustrat. In ea, arx est opere & situ pene inexpugnabilis quæ tamen sævientibus primis in Gallia bellis civilibus, à Buria & Monlucio Aquitaniæ proregibus expugnata, & ferè solo æquata est. Porro Oldus post aliquot milliaria Villamnovam alteram ab Aginno Provinciæ Aginnensis vrbem alluit, eamque medius interscindit: cujus vrbis fertiles campi tanta frugum vbertate redundant, vt verè horreum totius provinciæ appellari possit. Supra hoc oppidum, lintrium & lemborum tantùm capax, infra etiam navigiorum, quibus merces Burdigalam cum maximo incolarum commodo importantur. Hinc *Cassinogilum* soli non infelicioris succedit, & proximè *S. Liberata*, frugum & commerciorum præpotens.

GARVMNA.

Casseneil, Sainte. Livrade.

GARVMNA. Ambiunt vtramque ripam vitiferi colles, quandiu ſuis aquis fertur. In maius tandem exiens ſpatium, *Fongravam* populoſum vicum & Cœnobio virginum Fontis Ebraldi clarum, & ab hoc *Maurum Caſtellum*, mox quaſi in ipſo Garumnæ conſpectu *Cleyracum* oppidum munitiſſimum & peropulenta Benedictinorum Cœnobiarchia, tum pluribus moletrinis inſigne ſubit. Denique & intra vnum milliare à læva *Eguillionum* oppidum pertingens, Garumnæ fluentis immergi properat, poſitoque nominis faſtigio, ſub appellatione Garumnæ excurrit.

Fongrave.

Caſtel mauron.

Cley. rac.

Aguillon.

GARVMNA. La Dordogne.

DVRANIVS.

AUSONIVS in discriptione Mosellæ hyperbolicωs fingit longè maiora Galliæ flumina ipsi cedere, vt Ligerim, Axonam, Matronam, Tarnem, & Duranium, de quo ait:

Concedet gelido Duranide monte volutus
Amnis.

At Sidonii versus in descriptione Burgi Pontii Leontii carmine 22. multò & apertiùs de eodem flumine loquuntur, quod quidem in Garumna etiam annotavimus:

Est locus, irrigua qua rupe Garumna rotatus,
Et tu qui simili festinus in æquora lapsu
Exis, curvata Durani muscose saburra,
Iam pigrescentes sensim confunditis amnes.
Currit in adversum hic pontus, multoque recursu

GARUMNA. *Flumina quas voluunt, & spernis*
& expedit undas.
At cùm summotus lunaribus incrementis
Ipse Garumna suos in dorsa recolligit æstus,
Præcipiti fluctu raptim redit, atque videtur
In fontem iam non refluus, sed refluus ire.
Tum recipit laticem, quamvis ille minore,
Stagnanti de fratre suum, turgescit & ipse
Oceano, propriasque facit sibi littore ripas.

At neque Ausonius proprium ei fluvio nomen, neque Sidonius vllum peculiare ei tribuit, quod nec Strabo sub Tiberio facit, eius tantùm aquis Garumnam augeri scribens. Sed aureum montem in finibus Arvernorum quinque grandiores leucas occupare notissimum nescientibus esse cupio. *Duranonam* etiam dici à Gregorio nostræ gentis historico lib. 7. c. 28. lectorem moneo. Aimoinus Historicus l. 1. de Aquitania loquens:

Fluvi

Fluvii quoque, inquit, *haud parvi nominis in eadem sunt provincia, Elaver, qui non multò minor Ligeri eius excipitur alveo. Dordonia etiam, qui ex monte qui Dor dicitur, & est in finibus Arvernorum, duobus scaturiens fontibus, quorum vni nomen est Dor, alteri Donia, qui non procul à monte ipso coniunguntur, in Garumnam influit.* Præcipuum quidem est *Durannio*, vt quinque populos Lemovicensiũ, Cadurcensium, Aginnensium, Petracoriensium, & Burdigalensium non minima ex parte pertingat: Lemovicenses ab Arvernis, Cadurcos & Aginnates à Petrocoriis dividens. Durannius itaque proximè ab ipso fonte *Bortum* oppidum, atque alia in Lemovicensi solo sita stagnanti pene alveo pervadit. Hinc *Carennacum* oppidum diœceseos Cadurcensis eodem fluxu lambens, à Cadurcis mutato impetu in Petracorios vergit. Inde *Solliacum* vrbem, Sarlatenses agros, & oppidum quod incolæ *Dumam* vocant, ingenio loci adversus vim omnem egregiè instructũ. *Limolium*

GARVMNA.

Dordogne, r.

Bors.

Carennac.

Souillac.

Dome.

Limeul.

GARVMNA. dehinc vrbem ſoli prædivitis vbertate paſcit, ibique.....fluviolum à Lemovicibus exili aquarum lapſu oberrantem excipit. Exinde Durannius aquis ſuis & alienis auctus, liberam navigantibus & facilem præfert rerum venalium facultatem. Nec in exiguo proventu ponunt Petracorii copiam ferri, quo abundant, & ferreas officinas. Nec fallitur, qui ad illius ſoli præſtantiá adgregat ingentes ſilvas, quorum ſubſidio tot officinas foveant, vnde non ſolùm ferrum grave, ſed & æramentum & aliud vis ferri opificium per Durannium in alias provincias auro & argento æra mutantes, transferendum curant. Accedit quòd hæc ora ſicut Lemovicenſis, caſtaneis adeò ſilveſcit, vt non ſolũ incolas hoc edulio nutriat, ſed & gentes longinquas & propinquas hoc vulgari obſonio reficiat & recreet. Quinimo in Britanniam inſulam copioſa hæc meſſis tranſfertur. A Limolio Durannius in *Lindum* oppidũ fonte miræ ſcaturignis turri incluſæ famoſum vertit. Abest *Bergeracum* novis extructionibus

Bergeracum.

validissimum, & frumenti, generosique vini, & aliarum frugum copiâ latissimum immittitur. Hoc autem non tam Senescalli, id est Judicis Petracoricensis Prætorio, quàm bellis inter Francos & Anglos, & maximè victoriâ Guesclini Magistri equitũ adversus Monferrantium Anglorum Ducem anno 1377. inclaruisse videri potest. Hinc Durannius intra Aginnenses & Petracorios opimo cultu interscindens, *S. Fidis* Aginnensis provinciæ oppidum prætervehitur, à qua peractis circiter octo milliaribus in finibus Petracoriorum, ad *Castellionem* primam Burdigalensis provinciæ vrbem Anglorum excidio, & Talboti egregii Ducis cæde memorandam vertitur, ibique alternantis Oceani fluctu perfunditur. Postea relicto à dextra antiquo & non ignobili *S. Æmiliani* oppido, *Liburnium* vrbem frequentem populo & rerum omnium ac mercium peregrinarum copia ex toto Oceano advectarum pervenit. Ibi *Ella* amne adiuncto, qui ex Petracoriis originem trahens prope

GARVMNA.

S. Milion.

Liboirne.

L'Isle.

GARVMNA. *Coutras. La Drone, r. Fronsac.*

Cotrasium Drunæ fluvioli ex agro Lemovicensi labentis, deinde ad *Albamterram*, ita appellatam, quòd territorium eius verè & naturaliter sit colore albũ, ferax tamen ac fertile, Petracorios & Engolismenses interjecto amne discernentis, vndas sibi asciverat, radices *Fronciacæ* arcis alluit à Carolo Magno extructæ omnium nostrorum scriptorum testimonio. Aimoinus Petracorius in vita Albonis Floriacensis cap. 18. de Ella, deque Albaterra Petracoricæ diœceseos, loquitur in hunc modum: *Ad Castrum cui Albaterra nomen est, cùm devenissemus, Dominus ipsius Giroldus apparuit. Porro nos eadem die qua de Albaterra promovimus, transmeato Ella flumine unà cum beato Elbone in villa quæ ad Francos dicitur, hospitati sumus. Suscepit nos inibi genitrix mea, memorati militis Geroldi consanguinea, vocabulo Amnetrudis, cum quanta potuit humanitatis exhibitione.*

Aubeterre.

Castrum igitur Albæterræ altæ rupi impositum, quæ à maioribus instar lapidicinæ excavata detracto lapide, & relictis duobus or-

dinibus pilarum, quæ veluti fundamenta essent quibus ædificium niteretur; lumen tantùm accipit à Meridie, id est versus Dromam amnem, via quâ in oppidum itur intermedia, estque parochiale Templum D..... præter quod est in eodem oppido monasterium ordinis Benedictini, Salvatoris nomen habens, Temploque Canonicorum ornatur. Supra fornices autem naturales versus angulum qui in septentriones spectat, fons est in Templum fluens. In summa autem rupe Castrum Vicecomitis pulchro locatum situ visitur. Ad Liburnium redeo, ita dictam quasi limitem Ellæ sive Islæ fluminis, quod nomen etiam illi tribuitur, & reperitur in antiquis membranis Petracoriorum. Opus autem est Eduardi Anglorum Principis circa annum 1286. ad confluentes Duranii & Ellæ exædificatum. A Fronciaco in Vairensem arcem inclinatur iam aliquot seculis dirutam & iacentem, sed nostra memoria Gorguei civis Burdegalensis

GARVMNA.

GARVMNA. Quæſtoriſque Regii .....inſtauratam. Hinc latioribus ripis auctus Ella, & vadoſo perſimilis æquori, per paludes & æſtuaria longo tractu penetrans, factiſque aliquot inſulis, Cuſacum portum ingreditur: ad quem ſtant geminæ excelſo loco turres, tandem ad Occidentem ſe dirigens, *Burgum* Pontii Leontii attingit, & intra quingentos paſſus in ipſo oppidi aſpectu ad promontorium, quod vocant *Beccum* ambarum aquarum, in Garumnam deficit. Eſt Burgus antiquum & validum bello oppidum, à Paulinis eius auctoribus ad confluentes horum duorum fluviorum poſitum: de cujus laudibus Sidonius multos verſus edidit Carmine 22. & inter cætera ſic ait:

Bourg ſur Mer

Becdambez.

Hos inter fluvios vni mage proximus vndæ eſt,
Æthera mons rumpens, alta ſpectabilis arce,
Plus celſos habiturus heros, vernamque Senatum:
Quem generis princeps Paulinus Pontius olim,

ſum Latius patriæ dominabitur, ambiet altis
Mœnibus, & celſæ transmittent ærea turres. GARVNNA.

Tantus quidem ab hoc Durannii oſtio Liburniam vſque Oceani æſtus intumeſcit, tantoque impetu præcipitantes ſe vndas repercutit, æquinoctio præſertim autumnali, vt in ipſo æſtus primordio ſcaphas in littore poſitas evertat, majora navigia momento in altum evehat, & vaſto cum ſtrepitu terrorem & pavidos metus exteriùs hominibus hujuſce rei ignaris incutiat, ita vt attoniti res humanas iterum diluvio commiſceri putent. Hunc æſtum incolæ *Maſcaret* vocant: tantaque eſt vis conſuetudinis, vt Liburniæ pueri in ipſo littore intrepidi hunc æſtum libenter & expectent & excipiant. Durannius ſui naturâ mucoſus eſt, & parum nitidus, quæ res efficit vt Garumna, qui aquis perſpicuis & puris gaudet, niſi cum imbribus & ſolutis Pyrenæi nivibus prætumidus vix intra margines ſuos cohibetur, piſcium omnium *Maſcaret.*

GARVMNA. copia à Durannio ſuperetur. Alit enim multos barbos, lucios, carpiones, alauſas, anguillas, lampetras, ſalmones, gobiones, ſturiones, & aliorum piſcium vim infinitam. Honos autem maximus menſarum carpio habetur, quem in Durannio & Ella piſcari vulgus ſolet, ac reperiuntur in eo troctæ ſingulares. Et id quidem flumen Arari penè parem, aut nihilo maiorem viatores putant.

TARNIS.

Le Tar, r. TARNIS fluvius, is eſt de quo Cæſar ait, *Tarnoque amne diſcreti à Tholoſatibus Petrocorii*, & quem Auſonius Auriferum vocat, à Cevennicis montibus perfluens, tanto ſtrepitu & fragore inter confragoſa rupium & ſaxorum loca, per Gabalos curſum dirigit, vt torrentis inſtar vicinis & terrorem & offenſionem pariat. Tandem latior & le-

nior per Ruthenos in *Milialdum* vltimam eius regionis vrbem se dimittit, accepto priùs apud *Montem album* exiguo amne Tescuno. Inde post aliquot milliaria, *Albiam* antiquissimam civitatem alluit. Nec tamen est quam Plinius Albam Helviorum appellat. Hæc enim Rhodanum attingit, & Vivariensem Episcopatum, cùm Albia decem milliaribus à Tholosa tantùm distans, & totidem à Ruthenis sita sit. Est autem hæc civitas opulento inter cæteros Episcopatu, & mirabili Sanctæ Ceciliæ Virginis Basilica insignis, positaque in solo non tantùm frumenti, vini, & aliorum frugum fertili, sed & crocum Galliæ etiam communicat, vt vicini Lauracenses & remoti Engolismenses, qui ad Oceanum accedunt, quotannis faciunt. Famâ autem & auditione compertum est, quas olim turbas sub Ludovico nono, & aliis principibus Albienses hæretici infecti excitarint, adeò vt totam Septimaniam, & Aquitaniæ maximam partem suis

GARVMNA. *Millau.*

Mõtauban.

Tescun.

GARVMNA. vitiis infecerint. Qui tãdem & Domini Hispanici concionibus & Simonis Comitis Monfortiorum, qui à Lutetia non procul habitant, armis omnes aut deleti, aut in ordinem redacti sunt. Ab hac vrbe Tarnis. *Galliacum* mercimoniis opulentum alluit. Permissum autem est jure singulari Galliacensibus & *Rupistagni* vrbis incolis, ut his solis liceat vina in eorum solo & præfecturis collecta post diem Andreæ Apostolo sacrum Burdigalam advehere: quod cæteris extra provinciam Burdigalensem ante Natalem Domini prohibitum est. Lauracensis ager dictus est à Lauraco domicilio Comitum in eo tractu, & Lauracus magnus vocatur, qui à *Sancto Papulo* martyre dictus est. Plures alii sunt Lauraci, verùm is à quo regio dicta est, hoc nomine censetur. A Tholosa novem leucæ sunt numerandæ quovsque S. Papulum attingas, indeque ad *Castrum Arri*, quod est diœcesis S. Papuli, vna. A Galliaco quidem Tarnis jam majorum navigiorum capax, merces

Gaillac

Rabestens.

Saint Papoul.

Castelnau d'Arry.

quaſlibet Burdigalam vſque vehit, GARVMNA.
vt in Angliam, Hiſpaniam, Scotiam poſtea trajiciantur à mercatoribus lucri avidis. Poſtmodum *Inſulam* oppidum & *Rupiſtagnum*, quo loco *Acutum* fluvium ſibi aſſumit, mox *Buſerium* permeat, ibique ponte trajicitur. Hinc *Villamurum* Gothiæ oppidum, denique *Montalbanum* vrbem divitem, populoſam, & egregiè munitam, & ſalubrem tabidis, ut medici aiunt. Habet inſuper Epiſcopum decreto Joannis XXII. Romani Pontificis, & fontem mirandæ ſcaturiginis; tantaque eſt hujus ſoli vbertas, vt cum feraciſſimis poſſit contendere. In eo tractu *Averio* fluviolus à Ruthenis oriundus in Tarnem dejicitur. Hoc ei nomen datum eſt in vita S. Amandi, vt mihi retulit Canonicus Caſtrenſis, vir fide dignus. S. Antonii vrbem in Ruthenis idem Averio irrigat. Quia in regione & fontem habet ſupra ipſam Ruthenorum præcipuam ſedem. Denique Tarnem ingreditur prope *Rabaſtinum*, in loco cui

Agoiſt. r.

Montauban.

Aveyron, r.

GARVMNA *Pointe d'Aveyron.*

Gallicè nomen eſt *Puncta*, ſive acumen, id eſt oſtium. De hoc fluvio dicitur vulgò:

Qui paſſa lo lot, lo Tar & l'Aveyron,
Nes pas ſegur de torna en ſa meyſon.

Poſtrema vrbium quas Tarnis irrigat, eſt *Moiſſiacum* oppidum, quod non ſolùm Albienſium factio afflixit, ſed Anglorum flammis & rapinis propè everſum jaceret, niſi poſt fugatos totâ Aquitaniâ hoſtes illos, & ab incolis qui ſupererant, & à vicinis populis inſtauratum fuiſſet. Nunc enim non inter ignobiles Cadurcorum vrbes habetur, opulentoque Benedictini Ordinis cœnobio illuſtre eſt. Non longè ab eo & intra primum lapidem Garumna Tarnis aquas invito ſimilis intercipit, ſemper turbidas & veluti flavas propter ripæ & ſoli argilloſi naturam, à quo hujuſmodi colore ſuffunditur, adeò vt Garumna limpidiores aquas vehens, Tarnim refugere & faſtidire videatur, & per milliare &

amplius ab eo diverso tramite, & ex obliquo fluere cernatur, ne vitreus & lucidus impari admixtione sordescat. Sic Tarnis à Gabalis perpetuum cursum vsque ad Aginnates agit, & Rithenos & Cadurcos à Tholosanis dirimens, certumque est & clara luce perspicuum Petracorios plurimùm à Tholosanis distare, proximosque & intermedios esse Cadurcos & Nitiobriges, quorum municipium est Aginnum. Abundat Tarnis luciis, barbis, alausis, vandosis, aliisque suavissimi succi & saporis piscibus. Sidonius in Protreptico de Tarne & piscibus ejus loquens, sic ait: *Hinc te Lesora Caucasum Scytarum vincens aspiciet, citroque Tarnis limosum & solido sapore pressum piscem perspicua gerens in vnda.* GARVMNA.

Lesora autem altissimum jugum est gentis Gabalorum, qui vulgò *Gavax* in patria dicuntur. In vita charissimæ Virginis corruptè Tarnis appellatur.

Et Auriferum, inquit, *postpone Gallia Tarnem.* Prope Templum *Saint Chresme*

GARVMNA. Virginis, quod à Quosalio Gabalorum, erumpit Tarnis ex alta & nigra rupe, cui nomen est *Tarni*. Idem Ausonius Paulino Epistola 8. loquens de Philone provocatore suo. *Adit inquilinos, rura, vicos, oppida solo & sales commercio acutis, phasellis, lintribus statis rate Tarnem & Garumnam permeat.*

AVRIGERA.

La Riege, r. AURIGERA fluvius Pyrenæorum nobilissimus dici potest, quia ab auro gerendo aureum nomen habet. Ex hoc enim pellucidæ ex auro crustulæ arenæque aureæ eruuntur, ex quibus incolæ secundum ripam fluminis sordibus elotis, & detersa fæce, aurum purissimum conflant: quòd si in munitiores partes distractum fuerit, argento vivo in unum colligunt. Hinc non minimus quæstus vicinis agricolis, qui tamquam in volvendis Tagi Hispanici amnis

aureis arenis operam elocant, quod in Tarnis, Oldi, & Garumnæ fluentis videre licet. Abundat hic fluvius insignibus tructis, quæ sapore & purpureis maculis, salmonibus bonitate & gustu non cedunt: nec desunt alausæ, alburni, & alii minutioli pisces, quibus incolæ vescuntur. Aurigera igitur Pyrenæo per vallem *Merignam* enatans, in campos Fuxenses descendit. *Fuxum* à Petrarcha sic appellari notissimum est, & ab Annali Albiensium, quem Petrus Sernensis historicus scripsit. Pervagatus autem aliquot viculos, *Aquas* oppidum alluit. Dein emenso aliquot milliarium spatio non ignobile Fuxensis oræ oppidum præterfluit, cui proximè succedit *Fuxum* oppidum, totius provinciæ & præfecturæ judicialis sedes. Nec procul visitur sacra *Montis Gaudii* Basilica à Carolo magno, ut aiunt, instituta, multisque donariis & redditibus ornata, quæ posteà Volusiani corpore in eam vrbem translato studio & diligentiâ Rogerii secundi

GARUMNA.

Merignes.

Acqs.

Foix.

Montgauci.

GARVMNA. Fuxensium Comitis multùm inclaruit. Bartasius in novem Musis Pyrenæis.

François arreste-toy, ne passe la campagne
Que nature mura de rochers d'un costé,
Que l'Auriege entrefend d'un corps precipité,
Campagne qui n'a point en beauté de compagne,
Fleuve d'or, & de flot, & de nom, & de sable,
Riche en grains, en pastel, en fruits, en vins, en bois,
Auriege au viste cours, clair ornement de Foix,
Qui rends par ton tribut Garonne navigable.

A Fuxo Aurigera modicè se laxat, & per lætissima agrorum sata fluens, *Apamiam* tandem illabitur Episcopali dignitate nobilissimam, & à Bonifacio octavo, vt Nangius historicus annotavit, amplificatam. Inde liquidus & suas duntaxat vndas trahens, tria oppida *Savardunum*, *S. Gavellam*, *Altamque ripam* reficit, à quorum

Pamiers

Savardum. S. Gavelle Haulterive.

vltimo navigio fit patiens, quibus omnis generis fruges & merces Tholosam exportant: vnde sedato cursu circumjectans, regionem peragrans, in finibus viculi Sanctæ Crucis duobus à Tholosa milliaribus Garumnæ miscetur, positisque fascibus & nomine, imperium Garumnæ tamquam principis libenter agnoscit: etsi nullum apud veteres Chronographos, vt Melam, Solinum atque alios, nomen habet. GARUMNA.

ATYRVS.

ATVRRVS sive ATYRVS, à Lucano & Ausonio vocatur, & à Vibio Sequestro in libello ad Virgilianum filium, Atyr, cùm ait; *Atyr Tarbellæ civitatis Aquitaniæ in Oceanum fluit.* Lucanus quidem his versibus libro primo de bello Pharsalico. *la Dour.*

——— *tunc rura Nemetis*
Qui tenet & ripas Atyri, qua litore curvo

GARVMNA.

Molliter admiſſum claudit Tarbellicus æquor.

Et Auſonius:

Inſanumque ruens per ſaxa rotantia latè
In mare purpureum Tarbellicus ibit Aturrus.

Nomen aliud Ptolomeus habet, quanquam non admodum ab his alienum. At poſteritas Adurum & Adurim appellavit, vt ex Codice Theodoſiano perſpicimus. E ſaltu quidem Pyrenæo, qui ab incolis dicitur *Pigmintolius*, inter rupes & ſaxa rotantia oritur, & per Bigerrionum campos torrentis instar ſæpe extra ripas diffluit. Sunt autem *Bigerri* ſeu Bigerrones, populi ad Pyrenæorum radices inter Convenas & Benearnenſes poſiti. Tellus enim frigida & vitibus caret, quos idcirco Auſonius pellitos vocat, propter nimiam cœli intemperiem & frigoris ſævitiam. Foventur tamen aquis calidis & mirè ſalubribus, ſicut & Benearnenſes, atque ex tota Gallia & Hiſpania valetudinis ergo in ipſo Veris exitu & Au-

tumni initio concurritur. Non procul à fontibus Aturri *Baignerarum* aquæ à corporibus abluendis nomen sortitæ sunt. Dissitæ ab vrbe Tarbiensi duabus aut tribus leucis, & aquæ Bigerrionum non Tarbellæ, sed Tarbienses dicuntur. Aturrus igitur post aliquot inter-valles emensa spatia, Arcem *Astensem*, vnde illustris apud Aquitanos *Grandimontanorum* familia originem traxit: inde *Tarbam* Bigerrionum metropolim, civitatem antiquam, & Episcopali dignitate jam à multis seculis ornatam alluit. Nec verò existimandum quod Tarbellorum caput vel metropolis Tarbia dicta sit, cùm in chartis Ecclesiasticis Bigerrionum Episcopatus dicatur; sed quòd Tarbelli qui ad ostia Aturri habitant, non sint admodum disjuncti à Tarbia. Idem Aturrus per *Placentiam* oppidum & *Barcelonem* Arminiacensis Comitatus exiguas vrbes labitur. Hinc non longo intervallo in *Landarum* provinciam defluens, *Tasches* oppidum, ubi

GARVMNA *Baignieres.*

Grammont.

Tarbe.

Plaisance.

Barcelone.

GARVMNA. *Larros, r.* *Ayre.* *Larroſus* fluviolus Aturro miſcetur, & poſtmodum *Ayrenſem* ſive Atyrenſem civitatem, quæ in actis Eccleſiaſticis Adurenſis dicitur, perfluit. Hæc in fertili & irriguo ſolo poſita, opulento Epiſcopatu ſub Novempopulania comprehenſo floret. Ab hac civitate vſque ad *Mugrò.* *Mugronum* oppidum prope Tartaſſeos Aturrus ab vtraque ferè ripa vitiferis collibus frondeſcit, ex quibus vinum album ſuaviſſimi ſaporis, quod *Chaloſſeum* vocant, ab Aquitanis laudatum exprimitur. Adjacent inde Aturro à læva, & ab occidente Benearnenſes populi liberi, & ad radices Pyrenæi *Cantabri* oppoſiti. Subeſt Benearnenſis provincia duobus Epiſcopis, *Eloroni* & *Laſcurræ.* *Oloron.* *l'Eſcur.* *Le Pau* Gloriatus etiam hodie *Palo* Benearni principum Regia ad ripas Gavi, ſive vt vocant, Gaberi fluminis ſita, ſeptem leucis à Pyrenæis tantùm diſſitæ, ſed in ſolo plano pulchroque poſita. Inſuper Academia *Hortes.* *Horteſiorum*, vbi literæ docentur, Hortenſiique, ſubſunt Epiſcopatu Laſcurrenſi. Quod autem Gabe-

rum vocant; & Vascones, B. pronuntiant vbi V. scriptum est. Poëta nescio quis irridet, cùm ait: GARVMNA.

Nostrum vivere libere est.

Ab Airensi civitate Aturrus Cœnobium *Castellanum* irrigat, inde *Cazenas* & *Grantam* vrbes, mox intra quatuor milliaria oppidum *S. Severi* ab Auscis distans sex milliaribus, quod Vasconiæ caput vocant, perlabitur. Est autem hoc oppidum, & Senescallo Landarum prætorio, & munitissima arce, nec non opulento Benedictinorum cœnobio clarum. Ab hoc circiter quatuor milliaribus distat *Monmarsanum*, Gregorio Turonensi cognitum, ad confluentes *Dusæ* & *Midovi* puri, perspicui, vitreique amnis, qui deinceps sub Dusæ nomine ad promontorium, quod est proximum Tartassio oppido, in Aturrum influunt. Denique Aturrus vsque ad Baunæ ostia fit navigiorum tolerans, quibus omne genus frugum & mercium passim effertur. Hinc Aturrus *Tartasum* interneccione & excidio Anglorum perfluit, à quo per campos vix cul-

Saint Sever.

Mont de Marsan.

la Douzer.

Midouer.

GARVMNA. tus humani patientes, & ſtantibus arenis plerumque obductus, ripâ depreſsâ & ſubductâ tanquam furtim incedés, *Aquas* oppidum, quas antiqui Tarbellicas & Auguſtas, & Aquenſium civitatem vocarunt, cœlo & ſolo jam benigniore, & ſuis vndis jam ditior & auguſtior factus ſalutat. Hæc civitas longo terrarum tractu à *Vicanis Aquenſibus* in ora Fuxenſi diſtat, necnon à *Vicanis* qui ſunt ſupra Tarbedam poſiti. Eſt autem Aquenſis civitas parva quidem, ſed ad omnes Hiſpanorum impetus munitiſſima: cùmque ſit in Imperii Francici finibus, perpetuos milites & præſidiarios fovet, neque videri poteſt: non commemorandum quod ſingulari fontis ingenio intra mœnia ſcaturientis, & igneo fervore ſemper æſtuantis, tum marmoreis ſolis admodum expoliti, eximiam ſibi laudem vindicat. Ex eo fonte multa vis aquæ in Aturrum dilabitur. Extant ægrotantiũ corporibus multa aprimè ſalubria aquarum calidarum balnea, non ſolùm in ea vrbe, ſed & in tota gentium illarum ora,

quæ Pyrenæi montis radices incolunt; vulgus *Preissasia* & *Terzisia* appellat. A copia autem & multitudine aquarum huic civitati olim nomen inditum verisimile est Ab hoc Aquensium oppido Aturrus impellente Oceani æstu aliquantulum vrgeri incipit. Hinc seipso tranquillior Gaberum sive Gavem fluvium à Benearnensibus emissum, innavigabilem, & tergemino se explicantem alveo, at concitatis aquis rapidum, & se tandem colligentem, ad *Petræforatæ* oppidum excipit. Hoc flumine concepto plenior factus, propter Baionam sive Boionam vltimam Tarbellorum & Imperii Francici civitatem, vndas suas lato spatio trahit, intraque vnum milliare ab ipsa vrbe videndus exit in Oceanum. Ante annos autem aliquot ejus fluminis ostium magno provinciæ commodo latius factum est, perducta fossa multò breviori quàm vetus & naturalis esset, operâ & industriâ Ludovici Fuxei Architecti & Mechanici Regii. Quod quidem Baionenses non *Beccum*, sed *Buccalem*

GARVMNA.

Bec.

Bocal.

GARVMNA. vocant. *Baiona* verò murorum & aggerum firmata munimentis, tutissimum est Galliarum propugnaculum, & sede Episcopali & Senescalli prætorio, & portu celebri (ad quem naves ex tota Europa conveniunt) non levem est consecuta inter reliquas Aquitaniæ dignitatem. Et cùm in finibus Cantabrorum jaceat, qui Biscaini appellantur, diverso idiomate incolæ loquuntur; alii enim Gallico, alii Vasconio, alii Cantabrico vtuntur. Sunt qui à Boiis antiquis Boionam sive Baionam dictam putent, cùm olim *Lapurdam* diceretur, vbi locatum erat præsidium Romanorum, idque conjiciunt ex eo quod nostro seculo non multùm ab eo distet Præfectura Lapurdensis, quæque in jure dicendo Tribunal Baionense tamquam fori majoris imperium veneretur. Sanson Canonicus Baionensis, mihi olim cognitus, rescripsit fluvium qui Baionam alluit, appellari Adurum. In vita autem S. Leonis *Nivum* nomen suum perdere in exitu vrbis vbi in Adurum influit. Denique

Dilabour.

Le Nibe,r.

Nivum

Nivum descendere à radicibus montis *Roncævallis*, hoc est à Septentrionibus fluere. Piscatio autem in Aturro flumine copiosa & fructuosa est, in altoque alveo tructas habet, vt alii piscosum amnem, immò alii piscosissimum, & flumen multo pisce refertum prædicent. Multiplici enim partu procreat lucios, salmones, alausas, barbos, carpiones, sturionem, sed præcipuè tructas, quæ per Gavum Benearnensem in Aturrum deferuntur, vt Garumnæ & Durannio variorum piscium proventu nihil concedat; vnde Sidonius Apollinaris lib. 8. epist. 12. Aturricos pisces Garumnicis mugilibus insultare scripsit. Postremò *Lugiam* in ultimis Aquitaniæ finibus Regino historicus sitam ait, quæ hodie *S. Joannis Lugiensis* nomine censeri solet.

GARUMNA.

De Gavo, Vidoso, & aliis tam fluminibus quàm rebus præclaris Novempopulanie & Bearnensium

PRODERIT & Arnaldi Ferronii Senatoris Burdegalensis, qui Henrico secundo Galliæ Rege scripsit, verba transcribere. *Transmisso,* inquit, *pontibus* Gavo *fluvio alioquin rapidissimo, qui tunc placidissimus fluebat,* Sordam *oppidulum pervenit. Prope Sordam quasi rostro scinditur Gavus, & divisus æqualiter in duas partes, latera undique alluit, rapidéque dilapsus mox in unum confluit. Est Sorda sita in præfectura Daciorum vicina montibus Pyrenæis, ibi domus Benedictinorum lautius nuper à Carolo Grandimontano Pontifice Burdegalensium, ejus loci Cœnobiarcha, ædificata. Gavus qui Sarrunsam, idem eum locum prætervehitur. Locum nacti incenderunt Hispani. Eodem terrore vicinum aliud oppidũ Petram foratam, quod Adriano Aspuimontano paret,*

Gavus.

Sorda.

pervenerunt, sed illi superiore loco atque arduo veteris castri reliquiæ satis tamen tum munitæ loci difficultate, quo factum vt commeatu tantùm ex inferiori loco ab oppidanis excepto extingunt, vicinum aliud oppidum appulerunt. Fluit & ea parte Gavis oppidum satis excelso loco situm, sed ad hostiles impetus excipiendos parũ munitum. At oppidani nemus vicinum delapsi, silvestribus sepibus densum paludibus defendebant. Intercepere aliquot etiã equos hostiũ quatuor milliaribus supra Baionam, vt Sanson Canonicus mihi percontanti perscripsit. Est & alter fluvius Vidosus nomine, in Gavum influens, qui ex Pyreneis montibus prodit, & circa Vidacum Castri Grandimontanorum nobile præterlabitur. Hispani Estingum incenderunt & diripuerunt, ac Vidacum profecti, diu arcem loco palustri sitam obsederunt. Eamque post vicesimum diem necatis crudeliter qui obsidionem receperunt, & diruerunt, rustici Palum & Baionam perfugerunt. Erant Dacii paratissimi ad hostes suscipiendos, eoque paucos ante dies immissæ copiæ: at hostes prædabundi priùs arcem vicosque

GARUMNA.

Vidosus fl.

GARVMNA. ejus loci, quem Maulernum solum vocant, populati, redierunt multis ex suis desideratis, quippe agricolæ armis assueti, præcipuè in balistis sagittisque emittendis periti, si quos temerè ex ordine progressos passim feriebant, eodem terrore hostes invecti in Biarnensium, qui se Bernenses dici malunt, fines, Salvamterram & Navarrinum oppidum diripuere, direpto tamen fano Mariæ vicino: quo loco Pontifices Oloronensium sacra peragunt. Vetus enim est fama necato olim Pontifice ab Oloronensibus, sacris eis interdictum, sacra translata ad fanum illud Marianum. Dirimitur verò illud fanum Mariæ ab vrbe Oloromo vicino fluvio. Diripuere quoque circa id tempus hostes fanum Joannis Lucensis, & Vicum Viarium, & agros Laburciũ vicinos Baionensibus. Mox alio loco, Poyetus, inquit, dum Salinarium vectigal insulis Santonum Oloronensibus, Arveto, Broagio, Aquitaniæque imponere Regio nomine, Senatus omnes Gallicos traducere in ordinemque cogere vult, flagrare invidia apud omnes cœpit. Baionenses simili metu Hispanorum consternati

S. Iean de Lus. Labour.

sunt, & suspectos habuere multos quasi de vrbe Cæsarianis prodenda. Cùm enim illi repentè advenissent, vbique ad arma conclamatum est, jam direpto fano Joannis Lucensis. GARVMNA.

Eo anno..... Nayn oppidum in Biarnensium finibus igni cœlesti immisso maiore ex parte flagravit. Nivus fluvius è Pyrenæis per Vasconum agros progreditur, Baionamque interluit, in eaque extrema labitur in Adurum non aliter quàm Lugduni Arar in Rhodanum. *Nibe, r.*

Gavus in Pyrenæis oritur, aqua ejus perspicua & crystallina est, per Bearnensium agros labitur, & navigiorum non est patiens: nutrit truttas, lampetras, sulmones. In arenis ejus aurum reperitur: Palum municipiũ & Regiam stationẽ abluit, postea per Lascurram vrbem Episcopalem in Adurum decurrit.

Est & alius Gavus qui oritur in Pyrenæis prope Salinas, vnde nomen accepit Gavi Salinarii. Et apud Salvamterram, & Navarricũ in Gavum Bearnensem tandem excurrit, atque hic Gavus è montibus Oleronii defluit. Oloronum verò est in edito monte.

CA-
RAN-
TONVS.

CARANTONVS.

La Chaſtaiſe, r. Cheronac.

IN vico & parochia, cui *Cheronnacio* nomen, diœceſis Lemovicum, in confinio tamen Inculiſmenſium regionis, *Carantonus* flumen amœniſſimum pulcherrimumque oritur, & modico fonte aquarum ex rivulis fluentium copiâ auctus. Et verſus Septentriones curſum dirigit quouſque *Cyvraium* Pictonicum oppidum attingat, ab eo meridiem petit, poſtea occidentem vſque ad Oceanum, in quem influit profundo altoque alveo, & mediocriter largo. Piſce abundat, ſcilicet carpionibus, troctis, luciis, muſtellis, hactonibus, quod genus albo colore eſt, anguillis, & ſimilibus. Ornatur planicie virentium pratorum, & collibus naturâ fertilibus, maximéque aſpectu gratis. Plures inſulas efficit, vel ligno vel pratis celebres. Colles autem de quibus diximus, vitiferi, &

& pampinis & racemis quotannis affluunt. Lapideos pontes habet, primus est *Sicolanus*, secundus *Rochemarus*, tertius *Cynriensis*, quartus *Theseus*, quintus *Condacensis*. CARANTONVS. *Pont Sigolan. Rochemeau. Civray. These. Condac.*

Est & alius fluviolus nomine *Perusa*, qui oritur in loco *Foramen Giliberti* dicto, decurritque per *Montis Joannis* parochiam, quæ ad Canonicos S. Martialis Lemovicensis pertinet, inde sub *Londinium*, postea juxta *Genolium* nobiles domos. Unius autem leucæ & dimidiæ cursum habet, & in vico seu parochia *Sancti Martini à Campanillo* se absorbet: sed singulis ferè annis fluere consuevit mense Aprili, aut Maio, & quod raro accidit, Junio, sed quarto decimo die cessat. Cùm autem fluere vult, agnoscitur cum vehementissimo impetu os rusticani putei in prato constituti sub declivi. Versus meridiem nobilis domus de *Brolio Vigerii* se effundit, novum quodammodo faciens fluviolum per prata, postea per *Ruffecianæ* silvæ latus in *Lyenem* quoque amniculum fertur prope oppidum *Ruffetii*, & arcem

La Peruse, r. Monlan. Londigny. Genouille. S Martin du clocher. le Breuil aux Vigiers. Ruffec.

CARANTONVS. Procerum loci circumfluens, molitrinas agitat, egreſſuſque ſeptum ſpatioſum, tandem infra pontem *Condatenſem* influit in Carantonum, piſceque abundat, præſertim anguillis, cancris, & quod caput eſt, troctis ſulmoneis. E loco qui *Campaniacus de Mutone* appellatur, procedunt fluvioli duo, quorum vnus *Argenteus* vocatur, alter *Aureus*, qui ſimul poſtea juncti fluunt inter rupem, quæ antiquitus *Foſſa Lupi* dicebatur, vbi ſita eſt Abbatia de *Nantolio in Valle*, ordinis Benedictini, Pictavienſis diœceſis, quam Carolus magnus fundavit: inde progreſſi leuca vna in Carantonum labuntur, in loco qui *Porſac* appellatur, retentis ſimul nominibus ſuis, id eſt Gallica voce *Argentor*. Sextus verò pons ſub *Vertolio* caſtro rupi impoſito oppido imminenti conſtitutus eſt, vnde Carantonus decurrit inter domos nobiles *d'Aunac* & *Bayec* in diverſis ripis, inde apum *Mauliam vicum*, ubi ſeptimus pons eſt lapideus, octo fornices continens, qui locus ſitu pulcherrimus ad Cano-

Condato.

Champagne Mouten Argent, r. Or, r.

Nanteuil en valée.

Argentor, r. Verteuil

Aunac Bayec. Mauliac.

nicos Engolismenses pertinet. Prope Mauliam autem plures exigui amnes Carantono junguntur, duo scilicet *Sonus* & *Sonulus*, quorum vnus à Monasterio *Cellæ fruini* Augustiniani Ordinis, alter è parochia *Belli loci*, nobilique & egregia domo de *Sansac*, simulque junguntur ad pontem parochiæ quæ *Vallentia* appellatur: inde fluunt ad aliam, cui *Sancti Frontonis* nomen, & postea in Carantonum labuntur, troctisque delicatis abundant, luciis, atonibus sive cureiis, pisce albo, bramis & cancris. Fluviolus autem cui nomen *Bonvira*, è Prioratu *Castellari* Cluniacensis ordinis profluens per pontem *Sancti Cirici*, & radicem *Podii regalis*, Carantonum ingreditur. *Tardopera* è Lemovicensium finibus profluens, per *Montis Berulphi* castrum & oppidulum, & *Fulcodiorum* Procerum arcem egregio rupi impositam, & oppidum, Carantoni alveum petens. At inter illa duo loca, de quibus proximè diximus, *Ranconia* est. Id parochiæ nomen sitæ super alta rupe juxta

CARANTONUS.

Son & Sonnette.

Celle-fruyn.

La Bonvyre.

S. Cyer Fuyreau.

La. ardoere, r.

Montbeion.

La Rochefoucault.

Rancogne.

Les Caves de Rancogne.

CARANTONUS.

Tardopeiam, sub qua spatiosæ cellæ visuntur ingressu stricto, nec quicquam in iis potest videri, nisi funalia, aut laternas, aut paleas accensas præferri jusseris. Intus autem spectantur variæ imagines seu figuræ aut hominum, aut ferarum, aut vestium, aut columnarum, aliarumque rerum, quas magna voluptate atque delectatione animi qui præsentes sunt aspiciunt, cùm subterranea loca illa ingrediuntur.

Goé. S. Gros. Chasteau Regnald. Eschoisy La Terne. Amberac. Marcillac.

E Maulia autem Carantonus decurrit versus *Goé*, & *Sanctum Gratianum*, *Castrum Reginaldi* edito loco situm, postea *Echoisiec*, *Ternam*, *Amberiacum*, & *Marciliacum*, cujus loci dominus donationem olim fecit congregationi sancti Eparcii circa annum Christi 1059. tunc Seguino Abbate: Ea sic se habet.

Gerardus de Ranchono filius Aimerici, cognomento Felicis, cupiens ab auditu malæ auditionis securus esse, pro se & pro animarum parentum suorum omniumque Christi fidelium redemptione tribuit ex sua hereditate Congregationi beatissimi Christi Con-

fessoris Eparcii totam terram, quæ est à puteo ante portam Marciliaci Castri sito, sicut duæ viæ pergentes dividunt, vsque in Carontam fluvium, cum tota aqua de Esterio, in qua etiam terra, consilio Domini Wilielmi Engolismensis Episcopi, ipsiusque largitoris Girardi, supradictæ congregationis monachi ædificarunt Ecclesiam in honore sancti Michaëlis Archangeli. CARANTONVS.

Inde *Villam Ramnulphi* Carantonus petit, *Montiniacum*, vbi pons lapideus constructus est, infra quem rivulus è puteo rusticano in sylva non procul à Monasterio S. Amantii Brixiensis Ordinis Benedictini fluens Carantono permiscetur. De eo rivulo seu *Gavo* mentio facta est à Roone Episcopo Engolismensi, qui Roberto & Henrico Regibus vixit, his verbis: *Ego in Dei nomine Roho Episcopus Engolismensis, cum consilio Arnaldi Archidiaconi, & omnium Clericorum sanctæ matris Ecclesiæ sedis sancti Petri, facio donationem de Ecclesia S. Mariæ quæ est in Montiniaco, & de terra quæ est desuper, sicut via venit desuper vsque* Montignac. Le Gavor.

CARANTONUS.

in Gavaro, & ſicut Gavarus dividit vſque ad Carantonum & Silvam Donello, & omnia de ſupercilio montis vſque in Carantonum, ſanctiſſimo Petro & ſancto Amantio facio donationem ad cœnobium conſtruendum & congregationem erigendam, vbi cum Dei laudibus perſeverent. Et hanc donationem facio cum conſilio Veberti fratris mei, cui hoc ſuccedebat ex meo honore in ſervitio. Ego Robo Epiſcopus manibus meis firmo hanc cartam. S. Willielmi Comitis, & vxoris ſuæ Gebergæ, S. Alduini, S. Gaufridi, S. Arnaldi Archidiaconi, S. Veberti, S. Petri Waldradi, cunctopulo ſpectante.

Vars.

Carantonus autem fluit apud *Varnum* Episcopale domicilium, vbi pons est lapideus, inde *Vinzelias* & *Ballezacum*, & non procul ab eo loco rivulus nomine vulgo *Chuvit* in Carantonum fluit. Item est in finibus agri Incolismensis fluviolus, qui oritur versus *Montem brunum* in Lemovicibus, fluitque per Petragorias *Jauvrilliacum*, inde *Martinem* oppidulum, postea parochias de *Chaſellis* & *S. Conſtantii* percurs.

Vindelle Ballezac.

rit ad locum vsque qui *Umbrosus* dicitur, ubi se abdit per os exiguæ aperturæ, sed cùm tumescit extra ripas, extendit se ad parochiam de *Agrisio*, quartam partem scilicet leucæ circa *Bracontam* silvam, propter vliginosas, vt aiunt, voragines. In eundem fluvium Carantonum decurrit *Toluera* amnis duobus milliaribus ab *Incolisma* præclara vrbe, quæ in altissimo colle, & idcirco salubri posita est, quæ decursis aliquot millibus ab ortu fonteque suo, in Carantonum labitur infra pontem, qui *Gondius* dicitur. Hic verò amnis à nostratibus Poëtis Gallico sermone ob duas causas celebratus est, propter pulchritudinem riparum ejus, & infinitum prope Cygnorum numerum, qui esse in aquis ejus ripisque desierunt initio bellorum civilium, quæ Inculismam vexarunt; territis enim aut cæsis plumbo sociis, sedibus suis, & pristina quiete exules abierunt. Sidonius epistolâ 15. lib. 9 de Atace fluvio Narbonensi loquens, ait: Atacem sonare cum suis oloribus. Nec vulgi prover-

CARANTONUS. *Aux Vmbrays.*

La Toulure.

CARANTONYS.

bium improbo, quod de Toluera dici solet: *Qu'elle est pavée de truittes, lardée d'anguilles, bordée d'escrevisses, & couverte de cygnes.* Id est, Tolueram troctarum multitudine instar pavimenti substratam, anguillis & cancris circunvestitam, cygnis cooperiri. Clemens Cadurcensis Poëta, scribens super obitu Aloysiæ Sabaudiæ Francisci primi, Regis matris, hæc de Toluera cecinit.

La pauvre Toulure arrousant Angolesme
Ha son pavé de truittes tout construit,
Et sur son eau chantent de jour & nuit,
Les Cygnes blancs dont toute elle est couverte.
Ad vada Mæandri concinit omnis olor.

Paulus Thomas in Sylva à se edita Tolueram feliciter describit, his quidem versibus:

Arduus haud facili consurgit in æni clivo,
Et gemina hinc atque hinc protendit brachia collis:

Mense velut primo nocturnæ cornua Phœbes CARANTONVS.
Curvantur : vallis jacet infra angustaque primùm
Planitie, ingentem mox se diffundit aperta
Colle sub hac, ipsaque aperit qua brachia parte,
Qui longo vallis secessu abducta recedit,
Fons scatet horrendus, priscum cui Tolvera nomen,
Ille quidem geminus, sed nomine proditus vno,
Quod coëunt vndæ, communique agmine currunt,
Margine nec distant : collis porrectus vtrumque
Marginis instar habens, claudit : mirandus vterque
Ingens, piscosus, gelidæ gratissimus vndæ,
Sed dispar facies : Alter sine murmure sensim
Defluit, ut tacito fallat quoque lumina lapsu,
Turbidus aspectu, placido nil ore pericli
Promittens, vastus sed enim patet

CA-
RAN-
TONVS.

vndique gurges,
Cæruleasque aperit fauces immensa vorago.
Hujus conati quidam dependere fundum
Demisere gravi subeuntes pondere funes
Innumero; verum nulli (mirabile dictu)
Fundum demissi valuerunt tangere funes.
Fons autem tumidos magno vomit impetu fluctus,
Cumque gravi gemitu, perque intervalla petitus,
Vndarum cumulos fundo inspirat anhelo;
Excitas Borea volvi stridente procellas.
Crediderís, veniens imo cum gurgite summas
Vnda super prorumpit aquas, & leve politi
Immani dorso conturbat fluminis æquor.
Fit fremitus; circùm collis, sylvæque propinquæ,
Antraque curva sonant, spectantibus incidit horror.

Etsi autem aqua Tolueræ naturâ frigidissima est, capiuntur tamen in ea cancri, anguillæ, mustellæ, lucii, percæ, alburni, gobiones, redones, trottæ purpureæ, ut alii ejusdem versus indicant in hunc modum. CARANTONVS.

Hic mihi vix primas tingenti flumine suras
Obvius obliquis cancer se gressibus offert.
Riparam ille cavis habitat; tam fercula præbens,
Quàm medicas servans & testa & viscere vires,
Lubrica prælongum simul impellensque trahensque
Corpus agit, flexoque Anguilla volumine serpit,
Delicium vulgi, detracto tergore quondam
Nota nimis pueris, teneroque incommoda tergo.
Hanc ego qua dicam causa cùm vita reliquit,
Non fluitare vadis cunctis è piscibus unum,
Sed gravis in morem fundo subsidere saxi.

CARANTONVS.

Tu quoque præcipua spectaris mole, gravemque
Ovorum gestas numerosis millibus alvum
Carpio, lingua cui tenero suavissima gustu.
Nec tu oriunda mari Mustella silebere, verno
Tempore perspicui subiens quæ lata Carentæ
Ostia, in adversum, quàm longum est, serpere flumen
Non cessas, donec tot prætervecta procellas,
Tot populos pontesque, rapax quibus obstrepit unda,
Accedit fonti haud ignobilis incola nostro,
Tu primùm intercepta, omni preciosa macello
Regnas, divitibusque paras obsonia solis;
Tempore mox ipso pretium mutasque saporem.
Ecce ferox pavidos metuendo Lucius ore
Insequitur pisces, mensis nunc ille receptus,
Quem gula damnarat veterum, Ger-

mania Gallis
Hunc certo condire modo monstravit : hoc illis
Unum pro toties populato reddidit agro.
Deliciosa choro Percarum examina ludunt,
Alburnique natant pingues, & Gobio vilis,
Redoque vix fulvas inter noscendus arenas
Concolor & tenuis, sed præstans carne salubri.
Nunc te Tratta canam, quo non formosior alter,
Suavior aut gustu piscis, variata refulget
Purpureis tibi squamma notis: tu vesceris albi
Exuis assuetum vere incipiente colorem,
Et penibus, ceu salmo, rubes. Quis fontis alumnum
Te putet ingenti Neptunia corpore monstra
Aquateum ? nostri certè regnum omne fluenti
Te penes; inte omnes convertunt lamina pisces,

CARANTONVS.

CARANTONVS.

Certatimque colunt, admirantur que natantem.
Rarior & cùm sis aliis in fluctibus, & te
Non lacus insignem, non quilibet educet amnis:
Hic tamen vsque frequens adeò deprenderis, vt non
Nobilior Tiberisve lupis, Misenus echinis;
Vel fuerit tenera Lucrina pedoride lympha.
Non tibi se Rhodani, quæ laudatissima fertur,
Non tibi se vitrei præponet trutta Lemani.

In Poëmate Gabrielis Carlonii, cui Engolisma titulus est, hi quoque versus de Carantonio & Toluera habentur.

Anne Carantonei memorabo fluminis alveum
Piscosi, irrigui, gelidi, vernantis, opaci?
Illius, viden, vt cervix collapsa recumbit,
Et tua cæruleis lambit vestigia labris?
Nec prælabentem germino de fonte To-

lueram
Transierim auratis præcinctum cornibus, atque
Innumeras gelido refoventem flumine truttas,
Scammea purpureis stellatas tergora guttis.

CARANTONVS.

Et communi piſcatorum voce atque conſenſu Toluera piſcibus & quidem optimis fertilis eſt, maximè truttis, anguillis, & cancris. Cuis rei ratio redditur, quia ex puro fonte aquæ vivæ & admodum frigidæ oritur, eamque præter cæteros piſces trutta appellere videtur, multoque meliorem piſcem hic fluviolus & ſolido ſapore preſſum nutrit quàm Carantonus. Iidemque piſcatores tructam Tolueræ perdicem vocant: quia vt perdix volucribus, ita tructa præſtare cæteris piſcibus exiſtimanda eſt

Nec ſine cauſa Comes vrbis Engoliſmæ olim, circa annum Domini milleſimum benevolentiâ & liberalitate in monachos S. Eparchii, vſus privilegia piſcandi in Toluera eis conceſſit in hanc ſententiam. *In Dei nomine Wilielmus*

CARANTONVS.

Engolismensium Comes, cognomine Sector ferri, venit in Capitulum nostrum, vbi dedit pro anima sua, patris sui, suorumque omnium parentum, in præsentia Domini Bernardi Abbatis atque Conventus, concessit atque donavit Deo sanctoque Eparchio, & monachis ibi servientibus, tantùm piscium & avium, quantùm per ingenium & laborem vnius piscatoris in fluvio Tolueræ capi poterit omni tempore. Hanc igitur donationem fecit per corrigiam in hoc pergameno pendentem, pro qua tantùm donatione accepit à præfato Abbate nominatissimam loricam, quam Gerardus de Volventio moriens dimisit sancto Eparchio, vt monachus fieret. Testibus his Gosleno, Gardrado de Valle, & multis aliis.

Postea primogenitus Regis Angliæ privilegium aliud Episcopi Inculismensium scribi jussit, cujus verba sunt. *Edoardus Regis Angliæ primogenitus, Princeps Aquitaniæ & Walliæ, Dux Cornubiæ, & Comes Cestriæ; Dilecto nobis Castellano nobis de Toluera Salutem. Mandamus vobis quatenus reverendum in Christo*

Patrem Episcopum Engolismensem, seu per ipsum deputandos in fluvio Aquæ Tolueræ cum duabus naviculis & duobus filetis tantùm absque alio instrumento piscari de cætero permittatis tempore à festo beati Andreæ vsque ad festum Purificationis beatæ Mariæ singulis annis, excepto dominio, consuetudine, & libertate dicti Castri nostri in aliis & in iis illæsè conservatis. Datum apud Engolismam decimo octavo die mensis Maii, anno Domini millesimo trecentesimo sexagesimo quinto. Signatum BERCH.

CARANTONVS.

De qua piscatione particulatim mentio fit in compositione facta anno 1224. inter Hugonem Brunum de Luzigniaco, Marchiæ Comitem, & Isabellam vxorem ejus, filiam Ademari Comitis Engolismensis, (quæ Regina Angliæ fuerat) Guidonem & Gaufridum eorum filios ex vna parte, & Robertum à Monteberulpho Engolism. Episcopum ex altera. *Per totam aquam à ponte villæ inferiùs vsque ad Carantonem piscari facient jure suo ipse Episcopus & sui successores cum duabus navibus & duobus retibus.*

CARANTONVS.

tantùm quotiens & quando vellent, excepto tempore quod est inter festum sancti Andreæ & Purificationem beatæ Mariæ: ita tamen quod in illo temporis spatio à ponte villæ Tolueræ usque ad quandam populum quæ est subtus Magniacum prope hortum Pecaudi, & ab oppositis ex altera ripa est pontus qui vulgariter appellatur Maignha, piscabuntur. Comes tantùm piscabit illud spatium, ibidem non piscabitur, nec piscari faciet, sed tunc piscabitur in tota alia aqua. Verumtamen illo tempore quo Comes supra pontem villæ Tolueræ piscabitur, Episcopus piscabitur. Cujus compositionis exemplar habetur in Cartulario Episcopii.

le Bourg du pont de Toulure.

Toluera igitur fontem habet in loco de quo Virgilianum illud dici potest: *Est in secessu longo lacus.* Ad fontem verò illum plebs Inculismensis crebras deambulationes propter viciniam facere solita, eum variis nominibus appellat. Nam alii quidem Tolueræ fontem, alii gurgitem, alii abyssum, alii Vivarium Regis, quod nullo tempore cuiquam liceat invito Principe piscari.

piſcari. Itaque hoſpites ſuos, præſertim curioſos atque extraneos, viſendi loci avidos eò ſecum trahunt. Ex quo tam magna vis aquarum effunditur, vt eam ebullire videas, atque in altum ſe attollere: quo fit, ut meticuloſi cum naviculis quidem propter vitandum periculum non audeant accedere: formidabilis enim eſt duobus præſertim locis, vbi fervere quodammodo conſpicitur, circuituſque ſcaturiginis illius talis eſt, vt ſtagno ferè ſimilis appareat: aqua verò cærulea eſt. CARANTONVS.

Tribus lapideis pontibus ſtratus eſt fluviolus qui ex illo fonte fluit, quorum primus de *Ruella* vulgò appellatur, alter de *Toluera*, vltimus verò *Gondius*, infra quem in Carantonum funditur, qua parte *Incoliſma* vrbs in Septentrionem ſpectat, ſupra quem navigia primum admittit, atque in *portu ab Vlmello* dictus marcimonia diverſi generis advehenda parantur, maximè lignorum, quæ vel ædificiis faciendis ſerviant, aut vindemiis, ibique ſal Lemovicum genti diſtri- *Angoleſme.* *Port de l'Vm.*

CARANTONUS. Abbaye S Cybar.

buitur; nec procul horrendæ rupes & præcipitium ingens *Eparcii Monasterio* sub illis posito imminere conspiciuntur, & prope id pons lapideus est in gratiam commeantium à majoribus constitutus. Cujus fluvii pontisque mentionem fieri video in privilegio quod olim dicto monasterio concessum est à Vulgrino Comite hoc modo: *Ego Vulgrinus Comes Engolismæ, dono Deo & sancto Eparchio à capite pontis S. Eparchii sicut vadit publicè versus Marcilliacum, via & terra beati Eparchii, quæ dicitur Vaisnacum, extenditur usque ad fluvium Carantonis, ut habeant monachi S. Eparchii defensionem omnium animalium, leporum scilicet, cuniculorum, fasianum, perdicum in dominio & proprietate quantum, ut suprà dictum est, à capite pontis Terra de Vesnaco protenditur. Hoc donum feci Deo & sancto Eparchio in manu Domni Helii Abbatis, pro salute & remedio animæ meæ. S. Vulgrini Comitis. S. Wilielmi Fulcaldi, S. Iterii, S. Joannis.*

Anguyene, r.

Enguiena fluviolus, è silva quæ vulgò de *Dirac* nuncupatur, oritur,

fluitque ab Oriente versus Septentrionem, & sub radice vrbis in Carantonum intrat. CARANTONVS.

Boema amniculus è parochiis de *Vogesaco* & *Monasterio* fluit in Carantonum, ditissimusq; est cancris. In alia verò ripa fluviolus est nomine *Noera*, qui è fonte oritur in parochia seu Archipresbyteratu cui *Roliacus* nomen est, fluitque prope templum & cimiterium S. Eparchii, quod vulgò *S. Cybardeaux* dicitur, in militari via qua Burdigalam à Pictavia itur, vbi per exiguum pontem lapideum transitur, qui locus non ab aquis appellari debet, sed ab ilice, specie nempe arboris glandiferæ: olim Gallicè de *Elz* dicebatur, quo vocabulo vsus est Lambertus Engolismensis Episc. anno 1143. quem sanctæ memoriæ virum fuisse dicit Divus Bernardus in Epistolis. *La Boème, r. Moutiers.* *La Noere, r.*

Croci Incolismensium regio non tantùm quotannis suppeditat quātùm Lauracenses, ac Albienses: quadraginta tamen ballas (mercatorum enim verbo vti liceat) ad nundinas Lugdunum, aut aliò deportari curat.

CARANTONVS.

Carantonum bonæ fidei Incólismenses esse aiunt, quia rarò extra ripas diffluit, alveum veluti marginibus vtrimque coërcitum, idcirco parum damni infert, & prata rigans, faciem eorum quasi perpetuò virentem reddit.

Carantonus autem Novum Castrum petit lapideo ponte munitum, indeque Jarniacum oppida incincta. Inter ea non procul à Castronovo, sed in diversa ripa commissum est prælium Carolo IX. Rege adversus segreges Calvinianæ sectæ defensores, Catholicis victoribus, vnde Litium Procurator natione Petracorius, nomine Lavalius, sic ait:

L'an mil cinq cens soixante & neuf
Entre Jarnac & Chasteau-neuf
Fut porté mort sur vne anesse
Le grand ennemy de la Messe.

De Carantono ac de eo prælio Petrus Ronsardus Poëtarum nostratum Princeps hæc tradit, Ode 66.

Lors que la tourbe errante
S'arma contre son Roy,
Le Dieu de la Charante
Fasché d'vn tel desroy.

Arresta son flot coy,
Puis d'vne bouche ouverte
A ce peuple sans Loy
Prophetisa sa perte.
Mon flot ores esclave,
Et tout le verd esmail
De ces prez que je lave.

Ode 66.

Ils ont esté foudroyez,
Pouldroyez
Sur les bords de la Charante,
Charante qui prend son nom
D'Acheron,
A leurs esprits sert de guide,
Et d'esbat pour traverser
Et passer
Au rivage Acherontide.

Præclaram verò domum Chabotiorum familiæ Carantonus alluit, quæ primo vere, æstate autumnoque gratissima propter amœnitatem debet videri: tres enim pontes pensiles ibi sunt, vnus quo itur in hortos, alter in pratum ingens, tertius in sylvam partim cæduam, partim non; quæ loca circuitu aquarum ejus fluminis junguntur. Ac de *Jarnacio* quidem idem Paulus Poëta ita scribit.

CARANTONVS.

Chabotiorum clara nobilium domus,
Praeterfluentis quam rigat Carantoni
Formosa lympha, tu mihi prae caeteris
Dilecta terris, tu omnium pulcherrima:
Opaca sylvis, lata pascuis, ferax
Frugum atque Bacchi, quàm tuo natum sinu
Beata tellus me fuisse gratulor.
Sed nec pigebit te mei, spero quidem:
Nam si qua nostri carminis potentia est,
Chabotiosque, teque in astra deferam.

A Jarnacio autem *Coniacum* regiæ agnationis municipium defertur, quod abest ab Inculisma septem leucis, duabus verò à Jarnacio. Ager Coniacensis vicinas vrbes habet vini copia præstantiaque nobilissimas. Hinc herbosam per planiciem latè, sed innoxiè spatiatur, extraque ripas diffluit, præsertim hyeme, affluentium aquarum concursu amplissimo, compluribusque interfluentibus aquis auctus, tum alveo pleno ad SANTONVM vrbem principem labitur, à qua genti & terræ inditum nomen: deinde excurrit in Oceanum, ea tamen le-

nitate, vt quam in partem labi soleat, deprehendi vix possit. Nam cùm æstus maris bis æstuescat inter duos exortus Lunæ, novilunio scilicet plenilunioque, & mediis inter hæc intervallis decrescat, itemque bissenis, quaternisque semper horis bis intumescat, tam lenta illic & mira mora, vt vno fluminis latere deorsum, altero sursum dum sibi mutuò cedunt, fluere à quovis videri possit. Coniacum autem flumine eodem alluitur. Ausonius in laudibus Mosellæ ait Carantonum æstu Oceani refluum ipsi cedere hoc versu. CARANTONVS.

Concedet refluus non ipse Carantonus æstu.

Quoties enim Oceanus refluit, toties Coniacum vsque deprehenditur. Paulus Diaconus de gestis Longobardorum cap. 5. *Sequana*, inquit, *Aquitanica littora bis quotidie tam subitis inundationibus opplentur, vt qui fortasse aliquantulum introrsus ad littora deprehensus fuerit, evadere vix possit. Videas earum regionum flumina fontes versus cursu velocissimo relabi, & per multorum*

CARANTONVS.

millium spatia dulces fluminum lymphas in amaritudinem verti. Propterea ex majori Britannia, aliisque provinciis, tam vicinis quàm remotis, ad vinum, frumentum, ferrum, aliasque merces omnis generis exportandas à littore Oceani cum navibus Coniacum ascendimos est. Extant versus Jacobi Bobini Coniacensis Poëtæ, qui sic habent:

Illinc planicies, hinc clivus, refluus urbem
Santonico lambit pater ipse Carantonus æstu,
Qui mox Oceani salientes intrat in undas,
Altus, piscosus, nitidus, sinuosus, opacus,
Vitreus, &c.

Quod municipum præclaro quoque lapideo ponte jungitur, quo transito illud intranti occurrit ad usum populi fons eximius, qui numquam exhauritur.

Le Nèr. Maints Fonts.

Non procul à Coniaco in Carantonum influit *Nedus* exiguus amnis, in parochia Inculismensium à *Multis fontibus* dicta, oritur, qui

planitiem fertilissimam, quæ *Campania* appellatur, irrigat, quam terminare oculis nequeas.

CARANTONVS. *La Chãpagne de Cognac, Suyne.*

In iisdem Santonum finibus vrbs est à *Pontium* subliciorum ingressu appellata. *Singona* è tractu *Albæ terræ* veniens, abundat percis, troctis, carpionibus; plures insulas ad oppidum Pontium facit, sunt enim quatuor pontes. Ad vrbem Santonum postmodum pervenit Carantonus, à Cuniaco ad illam valde sinuosus: nam terrestri itinere quatuor leucis ab ea distat, octo verò & amplius si navigio vtaris. De vrbe Santonica, quæ totius provinciæ metropolis est, sic Ausonius ad Paulinum epistolâ primâ.

—tandem eiuctati retinacula blanda,
Burdigalæ melles loquimur illecebras,
Santonicamque vrbem vicino accessimus agro,
Quod tibi si gratum est, optime Pauline, proba.

Idem Epistolâ tertiâ ad eundem:

Vinum cum bijugo parabo plaustro
Primo tempore Santonos vehendum.

Idem Tetradio;

CARANTONVS.

Cur me propinquum Santonorum mœnibus
Declinas, vt Lucus boves,
Olim resumpto præferoces prælio
Fugit juventus Romula?

Fortunatus de Basilica Eutropii:

Urbis Santonicæ primus fuit iste Sacerdos.

In ea urbe plures Romanarum antiquitatum reliquiæ videntur, vt Amphiteatrum, Aquæductus, Ponsque ipse lapideus, quo Carantonus alluens cernitur, hanc inscriptionem habet.

CÆSARI NEP. DIVI IVLII
PONTIFICI AVGVRI.

Campanile S. Petri in ea vrbe à Pipino Aquitaniæ Rege exædificari curatum pulchritudine operis atque artificii præstantia cætera Aquitaniæ campanilia vincit.

Taillebourg.

Postea Carantonus *Tailleburgum* arcem egregiam atque oppidum alluit, vnde continuato cursu *Tonaciacum* vicum à Fortunato in vita Divi Hilarii memoratum, attingit.

Chef bouton ne.

Quo in loco *Vultumnus* amnis labitur in Carantonum. Origo ejus in finibus Pictonum, caputque

Vultumnæ appellari solet, Santones decurrit, præterfluitque *Engeriacum* oppidum, vbi Benedictini Ordinis monasterium erat, à Calvinianis eversum, quod nunc *Angelinum* corruptè dicimus. De hoc fluvio extant versus aliquot, quos etsi rudes hîc apponam. CARANTONVS.

Quum de Pictavis bellum fit & Andegavis,
Circa caput fluvii Vultumnæ, contigit esse:
Annus millenus tunc sexagesimus unus.

Postrèmò *Solbiziam* (in membranis S. Eparchii sic appellatur) oppidum arcemque nobilem præterfluit, denique in ipso *Lupini* portu inter medias salinas mari Santonico permiscetur. Hujusque fluvii Franciscus Corleus, vir eruditissimus, Incolismensis, Procurator Fisci, triginta tantùm leucis cursum metitur. Miror autem quomodo Cæsar lib. 4. dixerit Santones non longè à Tholosatum finibus abesse; compertum enim est fines Tholosatum vt minimum 30. leucis distare; quarũ singulæ quaternæ

CARANTONVS.

millia passuum continent. Idem Cæsar primo Commentariorum: *Cæsari*, inquit, *nunciatur Helvetiis esse in animo iter per agrum Sequanorum & Heduorum fines facere, qui non longè à Tholosatium finibus absunt, quæ civitas est in Provincia: si id fieret, intelligebat magno cum Provinciæ periculo futurum vt homines bellicosos, populi Romani inimicos, locis patentibus maximéque frumentariis haberet: sed hi à Cæsare cruento marte profligati, victique sunt, ita rerum omnium inopia adducti, victoris graves leges (vt ferè vsu venit) suscipere coacti. Hos itaque Cæsar in suos fines reverti, & oppida quæ incenderant restituere iussit: nolebat enim locum in quo discesserant, vacare: vnde Cæsar ob agri Santonici vbertatem insignem, temperiem cœli, locorumque oportunitatem ad commercia commodè obeunda ob maris circuitum, virgulta interfluentemque fluviorum vsum, hunc parando commeatui delegit, ex quo frumentaria res sufficeret exercitui in plures sæpe partes diviso.* Nec proverbium Santonicum à Frossarte in Gallica-

na historia vsurpatum prætermittere debemus. CARANTONVS.

Si la France estoit vn œuf,
Saintonge en seroit le moyeuf.

Id est si Galliam ovum statuas, Santones ovi vitellum sunto. Nam præterquam quod cœli clementiâ, soli vbertate, & aquarum bonitate præstant, non datur in Gallia regio quæ vicinarum dotes minùs desideret, sive generosas vites, sive frumentorum leguminumque copiam, sive salem, qui illis magis est peculiaris, sive portus tutissimos & commercia spectes. Nec prætereundum etiam videtur quod de absinthio Santonico veteres dixerunt, vt Martialis illo versu.

Santonica medicata dedis mihi pocula virga.

Cujus simplicis in agro Santonico magna hodie quoque copia nascitur. Idem Martialis de vestis genere qua olim rustici Santones vtebantur, sic ait:

Gallia Santonico vestit te bardocucullo,
Cercopitecorum penula nuper erat.

CARANTONVS. Et Juvenalis :

Tempora Santonico velas adoperta cucullo.

Nec ſoli Santones maritimi hoc penulæ genere adhuc vtuntur, ſed Burdigalenſes Viviſci & omnis penè Vaſconia, quæ cappas Bearnéſes ſolet illas vocare. Sunt autem ſalinæ Santonicæ inter omnes præcipui nominis, tantique proventus, vt non ſolùm Franciæ vniverſæ, ſed etiam Hiſpaniæ, maiori Britanniæ, Germaniæ, Sarmatiæ, & omnibus inſulis Septentrionalibus abundè ſufficiant, ad eaſque infinitæ naves quotannis huius commercii gratiâ accedunt, vnde non exilis pecunia redit ad Principem, qui vectigal ſalis anno 1608. locabat quatuor miriadibus librarum Turonenſium, & ſexcentis viginti vno millibus Francicis, vt ex ore conductoris audivi, & in cõtractu cum Rege facto legi. Parum autem ab ipſo Carantonis oſtio ingens maris ſinus, qui ab Occidente terram intrans, portum facit tota Europa celeberrimum, cuius æquè tranquillus eſt acceſſus quàm exci-

piendis navibus tutus mercatorum illuc è Germania, Flandria, Anglia, atque aliis remotissimis regionibus commigrantium, vt salem, cuius est in hoc sinu vberrimus proventus, ad suos exportent. Ibidem iuxta maris littus in loco arenoso curâ Jacobi Pontani nobilissimi viri, è familiâ apud Santones spectatæ & antiquæ nobilitatis, quæ licèt primogenitus fratrum non esset, latâ terræ, saxorum immensium magnitudinis, fumi & stercoramenti copiâ ædificata est vrbs nomine Jacopolis, salinis vndique circundata, populosa, opulenta, quæ cùm antea præter tuguriola quædam & casas ostenderet bellis civilibus, quibus florentissimæ totius Galliæ vrbes conciderunt, & à magnitudine sua longè desciverunt in eam adolevit amplitudinem, vt celeberrimum Franciæ propugnaculum & emporium iure existimari debeat. Cæterùm vrbi novæ nomen impositum, non statim à vicinis remotisque populis cognitum est, nec impedimento fuit veteri-

CARANTONVS.

CARANTONVS. & antiquo nomini, quin vbique terrarum retineretur, idque ita factum est. Parochia est Jacopoli vicina, quæ nomen *Bragio* dedit, idque templum *Sancti Eutropii de Broda* appellatur, cui detractâ literâ d. quam suo more vulgus fecit formator corruptorque nominum, Broagium dici cœpit. Quod quidem nomen ei impositum est propter antiquum castellum, quod in admodum edito tumulo situm erat, distatque à Jacopoli circiter dimidiam leucam, sive duo passuum millia. Appellabatur autem id castellum Gallica voce *Broa*, aut *Broüe*, eversum ab Anglis, quo tempore in Aquitania bellum gerebant, præter turrim vnam altissimam quæ sola reliqua fuit, nunc que procul à nautis visitur. Id verò castellum validissimum atque munitissimum erat, vt etiamnunc apud Santones vulgari & antiquo proverbio dicatur in hunc modum:

Fronsac, Cropignac, & Broüe
Ont fait aux Anglois la moüe.

Id est Fronciacum, Cropigniacum,

& Broagium, tres notissimæ arces, Anglorum vires contempsere, despectuque habuere. Neque enim potest magis appositè in Latinum sermonem converti. Judicii autem familiæ herciscundæ moribus Santonum Jacobo Pontano etsi familiæ suæ nequaquam primogenito contigit Brogium, quam Jacopolim nominari voluit, vna domo amplissima propter ea exædificata, vt mercimonia in ea servarentur, cui iuscriptionem ejusmodi Latinam posuit in gratiam nationum quæ Gallicè nescirent. CARANTONVS.

HAS ÆDES FUNDAVIT JACOBUS PONTANUS.

Cæterùm quia id ædificium non sufficiebat claudendis omnibus mercimoniis, cœptum est permittente eodem Jacobo amplius ædificari, ac voluit præscripsitque, vt ille locus à nomine suo imposterum diceretur. Nihilominus plebs nescia rerum vicit imperantem Dominum, semperque Broagium appellavit, & scholarum Magistri in Santonibus educati *Brugicorium* olim dictum putant. De sale igitur

CA-RANTONVS.

qua industria fiat, non erit extrà rem ostendere, quandoquidem Santones vsu vnius rei excellentiâ omnes nedum Aquitaniæ, verùm etiam totius Europæ regiones antecellunt. De ea re scripsit Nicolaus Alanus Medicus, apud quem vt domesticum testem magis probo: scire enim meliùs potuit.

De sale, inquit, sive in terra, sive extra terram reperiatur, nihil dicemus, neque de eo quem Lotharingi in Belgica, atque etiam Germani exhaustâ puteis aquâ salsâ, ardentibusque lignis suppositâ excoquunt tam diligenter, ut fossili & marino facilè carere possint; quia nec huius est instituti, nec apud nos omnia salis genera sunt propria. Intumescente igitur ob æstum pelago brumali, aut etiam verna tempestate, in oppositione Solis cum Luna, aquam marinã in certa quædam veluti stagna, & spatiosos lacus, facos (fortasse quod illic immota aqua iaceat) appellant, ligneis tubis ad id positis mare in lacum infundentibus Salinarii trajiciunt: residente mox æstu, remicanteque in Pontum mari, cùm effluere

& delabi vndæ non possint, quod vndique sit inclusus aggeribus lacus, & tubi obserati, obstrictique, in eo aquas conquiescere stagnantium more oportet, vsque ad æstatis initium; quo ex his lacubus ad Arearum campum derivantur. Eares in hunc modum transigitur, peragiturque labore improbo & industriâ Salinariorum, & sepimento terreo (quod quia extuberascit & intumescit, Galli id genus aliam Boffiam, quasi tumorem indicantes, vocant) ad justam impediendi æstus marini altitudinem extructo. Jam verò ad salis acervos in tuto collocandos planicies excavatur, in qua salinarias areas effingunt, vndiquaque quatuordecim aut circiter pedũ latitudine cavatas, easque oleaginosâ terrâ condensatâ, subactâque magnâ vi expoliunt, pavimenta adæquant, marginesque in ambitu pedali, fastigio & latitudine tripla erigunt, in quas quidem areas sordibus & limo verno tempore repurgatas, aqua marina è lacu educitur, & in campum admittitur. Sed aliquot diebus antè præparatur, incalescitque in fossis laxioribus eius rei gratiâ paratis, quas à concharum

CARANTONVS.

CARANTONVS. cavitate similitudineque Conchas appellant. Ex iis ineunte Maio aut æstivo sole in areas aquam pollicari altitudine immittunt: subinde adventante mox æstu, solis fervore, & flatu Aquilonio præsertim, humor capitur, & siccari coagularique cogitur, sale crassiore subsidente, & ejus veluti flore candidissimo supernatante. Ea epota exsiccataque aqua, aliam superingerunt, donec sal biduo, aut ad summũ triduo in spissitudinem concreverit, nisi fortè imbriũ copia cùm sal adhuc per areas stratus iacet, supervenerit, quibus aqua ipsa dulcescit, quæ ob id tanquam huic opificio inepta, inde emittitur. At verò concretum salem sub noctem probe exsiccatum instrumentis ligneis incurvis extrahunt, & in aggeribus circàfactis acervos salis construunt tam altos, vt prospicientibus colliculorum habeant speciem. Hos vbi coloribus obduruere, imbribus vix liquescere certum est: Nam cùm calore sit sal conglutinatus, siccitatem amat: contrà humor potissimum gelidus tepidusque, est illi inimicus, quandoquidem in ipso positus liquescit, reditque in aquam è qua concreverat, & in eam statim

resolvitur. Humido itē aëri expositus aliquam molis iacturam facit. Itaque cùm in his siccis locis conservetur, strues ipsas salis arundineis iunceisque operimentis in multos annos legunt muniuntque Salmacii, vt advenientibus mercatoribus quandocumque libuerit vendant. Mitto vsus varios quos sal mortalibus ad excitandam edendi aviditatem, & arcendam à mactatis animalibus putredinem præbet, alia in vita quamplurima commoda subministrans, adeò vt in proverbium abierit de re insuavi & iniucunda, eam esse sine sale. Unde Plinius eleganter, vita humanior sine sale degere nequit, adeò necessarium alimentum est, vt transierit intellectus ad voluptates animi quoque. Nam ita sales appellantur omnisque vitæ lepos, & summa hilaritas, laborumque requies non alio magis vocabulo constat, honoribus etiam militiæque interponitur. Salariis inde dictis, magna apud antiquos authoritate & præstantia, atque etiā necessitate, quando majus Regum vectigal ex eo est, quàm ex auro, atque margaritis, quorū penuria in Galliis

CARANTONVS.

CARANTONVS.

solus sal supplet. Nam argenti fodinæ in Aquitania dudum neglectæ sunt, quod proventum superarent impendia.

Claudius Rutilius Numatianus Gallus, oriundus è minori Britannia, libro primo Itinerarii rationem salis faciendi in mari Mediterraneo & ipse tradit hoc modo.

Subjectas villæ vacat aspectare Salinas:
Namque hoc censetur nomine salsa palus.
Quamare terrenis declive canalibus intrat,
Multifidosque lacus parvula fossa rigat.
Ast ubi flagrantes admovit Syrius ignes,
Cùm pellent herbæ, cùm sitit omnis ager,
Cùm cataractarum claustris excluditur æquor,
Ut fixos latices horrida duret humus:
Concipiunt acrem nativa coagula Phœbum,
Et gravis æstivo crusta calore coit.

Hæc ille Theodosii junioris tem-

poribus scribebat.. Notandumque est salsas paludes dici ab eo Poëta, quas *Marais salans* Santones appellant. Britanniam vocant Armoricam, quam Sidonius Britanniam super Ligerim appellabat ejusdem Theodosii ætate. Ac ne quid de Carantono præteream, Alanus idem scriptor medicus sic de eo loquitur: *Pauca de Carantono dicam, fluviorum hujusce regionis nobilissimo. Is est profundissimus, ac riparum anfractu tortuosus, & ferè invius: pauloq; post à Castronovo oppido alveo quieto & navigabili Santonicum agrum medium præterfluit. Ejus ab illo oppido repente veluti maris vasti immensa panditur planities, sic ut subjectos campos terminare oculis non facilè queas, cùm planiciem Campaniam quasi planissimos campos vulgus appellat. Hæc quidem secundùm longitudinem metropolim pertingit, ac non pridem etiam nemorosis ex diversa parte sitis, amne distincta.* Ab Santonica autem vrbe non distat Broagium pluribus quàm septem leucis, totidem à Marennis in vicinia sitis, ubi campanile altis-

CARANTONVS.

CARANTONVS.

simum visitur, in quo pharam noctu prælucentem quotidie collocant in gratiam nautarum qui procul adhuc ab optato portu absunt. Incolæ verò Broagii salsas quidem aquas habent, cùm dulcibus omnino careant. Itaque terrestri itinere in parochia *Jersa*, quæ distat tantùm à Jacopoli quarta parte leucæ vnius, illam haustum eunt, domumque advehunt, quo quidem in loco Prioratum quoque esse moneo. Ac prope *Marennas* sita est peninsula *Avertum* cæteris salsis paludibus latior, vbi ligna pinea visuntur, ilicesque perpetuò virides, quibus abundat: & quia oliginosa omnia facilè ignem viridia concipiunt, ardentque, idcirco à rei proprietate Santonica lingua peninsula illa *Ardverd* nuncupatur. Ab eadem Jacopoli *Olorionum* navigatur secundo vento duabus horis aut circiter. Hanc insulam in Oceani Santonici littore à Plinio lib. 4. vocari *Vliarum* notissimum est, à Sidonio epistolâ sextâ ad Nammacium lib. 8. Olarionum, de qua ita scribit: *Ac pudor si quis tempe-*

Marennes.

Ardverd.

L'Isle d'Oloron.

ras cursibus apertis, quatere campos, & insidiari lepusculis Olarionensibus, quos nec est tanti rarò te insectante superando scopulis palam ductis inquietari: nisi forsitan tibi ac patri noster Apolinaris intervenit, rectiùs fiet vt exerceantur. Eadem insula castro naturâ loci egregiè munito, Canonicorum Collegio, & Franciscanorum conspicua, parochiis sex, & opimo Benedictinorum Cisterciensium Cœnobio distincta est. Quod si quis scire cupit an hodie quoque Olarionum lepusculis abundet, sciat quod mihi planè compertum est, insulam illam naturâ arenosam, & copiâ hujus animalis nunc quoque affluere. Deinde frumenti, vini, salisque in hac insula tanta est vbertas, vt nihil ad vitæ hujus vsum desiderari possit, aditumque satis facilem habet. Idemque de *Reaco*, de qua suo loco dicemus. In eadem peninsula Monasterium est Mariæ Virgini sacrum, dictum à Vallibus, in quibus situm est, & latere altero clauditur peninsula *Sudrio* amne, cujus ripæ vtrinque non virore graminis nitent, sed

CARANTONVS.

Sudrio.

CARANTONVS. salinis circà factis. Qui fluvius multis rivulis vndique confluentibus in Santonibus originem sumit, etsi minimè navigabilis priusquam maris æstu augeatur, tamen ob proventum pratorum contiguorum accolis magno est in pretio.

La Girande,r. Fluviolus quoque alius, cui *Girundæ* nomen, *Roianum* præterfluit, oppidulum sanè antiquum, & in eo egregiè munita arx tam naturâ loci, quàm arte, vbi est ita mari conjunctus amnis, vt illius præ se ferat speciem, à quo statim excipitur, absorbeturque: vnde fit vt Sardinii pisciculi in illo fluvioli ostio capti, popularibus præsertim grati sint, gustumque eorum afficiant. Secundùm verò promontoria, tam est piscosus Girunda præter ostrea quæ porrigit plurima, vt accolæ piscatores sibi inde lucrum non exiguum parent mense Maio Junioque: tunc enim grandiores pisces, aquæ dulcioris & pastus aviditate illecti, in hoc veluti stagno marino congregantur, retibusque validis irretiti capiuntur. Cæterùm pisces isti magnitudine

insignes, duos habent in capite lapillos, quos appensos collo amuleti vice colico dolori remedium afferre prædicant. Ab incolis *Macræ* vocantur, quia sunt carne minimè pingui, tamen solida, albaque non minùs quàm bovina, idcirco messoribus cæterisque operariis apponitur, saleque & aceto in eorum vsum maceratur. Est verò Macra grandis admodum piscis, capitur enim in tres aut quatuor pedes longus, largusque, & crassus vnum vt minimum, ac per dispositos equos longè vendendus transfertur. Comeditur vtplurimum cum aceto, & recentioribus alliis. Cumque tonitru exauditur, incredibilis ejus quantitas capi solet, nec solùm hîc, sed in Pictonico etiam littore. Eodem tractu protenditur regio ad pagum nobilem *Meschierium* nomine, in aclivi promontorii cacumine positum, in cujus summo vertice apparent moletrinæ ventosæ aquosis sola molendi inæqualitate cedentes. Nam perpetuis flatibus ac procellis marinis rotantur incredibili viciniæ

CARANTONVS.

CARANTONVS. concursu & commodo, exsiccatis æstivo tempore fluviolis. Et quidem in sublimioribus Promontorii marginibus petricosis crista marina longè provenit: cocta æstu, sale & aceto condita servatur ad excitandam edendi aviditatem, & varios medicinæ vsus. Illic nemus pinorum, pinastrorumve perpetua coma capillamenti instar virentium arenoso solo conspicitur. Pinus vulnerata in trunco lacrymas fundit, quas incolæ colligunt, eisque vtuntur ad obserandas naves, & alios vsus quamplurimos. Duobus

Talmöt passuum millibus *Talemundum* distat à vico Sancti Severini Usetensis, in quo est portus navibus tutissimus, facilique appulsu nobilitatus. Cæterùm Talemundus oppidum est quod in sublimi collocatum promontorio mari imminet, & veluti celsa sedet Æolus arce. Qua verò parte tellus continenti adhæsit, excisum est promontorium, adeò id mare circa id oppidum ob æstum influentem & refluentem locum naturâ munitum, arte munitissimum reddidit. Isque

locus portum habet mercatorium conventu celebrem. A Mauritania abest duobus passuum millibus vicus *Usetensis*, & *Mauritania* quidem olim oppidum, vt in Concilio Lemovicensi, nunc vicus Principatu, Castro & Augustiniensium Cœnobio nobilis est. In vita Divi Martialis scripta ab Aureliano discipulo ejus, de Mauritania scribitur in hunc modum: *Admonitus est à Spiritu sancto beatus Martialis pergere super Garumnam flavium, in loco qui dicitur Mauritania, vbi multus vndique conveniebat populus, cupiens frequenti exhortatione plenius instrui mysteriis fidei, cujus multiplici ostensione signorum, ac sæpissima miraculorum, saluberrima vitæ æternæ jam olim acceperat rudimenta. Videns autem Apostolus multum populum Deo credere paratum, mansit ibi tribus mensibus.* Et paulò infrà: *Post hæc beatus Martialis à Mauritania reversus Lemovicum solum repedavit.* Sequitur *Cosnacum* Santonicæ ditionis oppidum, non dissimili loco situm, egregiéque munitum,

CARANTONVS.

Mortaigne.

Conac.

CARANTONVS.

cujus hodie tantùm reſtat caſtrum injuriâ belli, quod inter Anglos noſque diu exarſit. *Blavia* autem ita ſita eſt, vt nulla niſi famis obſidione expugnari poſſe videatur: in quo præſidiarii milites ad cuſtodiendos regni fines perpetuò excubant. In vita Gregorii Turonenſis: *Cauſa*, inquit, *fuerat qua Germanum fluvium juxta Blavienſe caſtrum tranſmeare debuerit.* Quo in loco non Germanum, ſed Garumnam ipſum ſcribi oportuiſſe ſuſpicor.

Nunc ad oſtium Carantoni revertimur, vt inde oram maritimam proſequamur vſque ad oſtium Ligeris, vltimoſque fines Pictonum. E regione inſula conſpicitur altera, vulgò *Reacus* dicta, *Rea* in antiquioribus monimentis, quod illic rei [illegible] tranſmigrare, & facinoroſi tamquam ad refugium tutiſſimum tandem deportarentur. Apud Gregorium Turonenſem lib. 5. cap. 48. hæc verba reperio. *Cracina Pictaviensis insula vocitatur*, quibus verbis putarem inſulam Santonum deſignari, ſi non addidiſſet eſſe Pi-

L'Iſle de Ré.

ctavensem. Nam Pictaviensium fi- CA-
nes à Santonum agro distant, & RAN-
fortè prima litera addita est, qua TONVS.
detracta *Racina* insula vocatur; re-
ctè enim respondet nomen nomini.
A qua quidem insula ad *Rupellam* *La Ro-*
amplissimum Aquitaniæ emporium *chelle.*
non est difficilis trajectus. Influit
enim dum æstuat mare, bis quo-
tidie in intimam vrbis partem,
celebremque portum instituit, vbi
naves in mare, & merces sub tecto
collocari solent. Neque enim in
clausum portum penetrant naves,
neque intromissæ sibi invitis sol-
vunt, quia præter antiquæ vrbis
muros immensâ machinarum bel-
licarum omnis generis copiâ muni-
tos, turresque altitudine ad propu-
gnandum sunt aliquot delectæ, quæ
vix æneorum tormentorum fulmi-
nibus dejici posse videntur. Ædifi-
catæ vtrinque ad portus ingressum
à Carolo quinto, Joannis filio, ex
castri ruinis turres validæ, & ma-
chinis ingentibus munitæ, ad ter-
rendos arcendosque hostes & pira-
tas, si fortè sub noctem scaphis in
portum irrepere tentent. Oppida-

CARANTONVS.

ni enim catenam ferream quotidie prætendunt, ne quisquam noctu ingrediatur aut exeat. Rupella militum sta ionariorum vacua, solos cives habet, seu belli, seu pacis tempore. Ad maius latus, arduus vsque adeò est vrbis situs, vt illa nisi famis obsidione expugnari non posse videatur. Hæc autem vrbs *Rupella* Latinè dicitur à Gregorio IX. in hunc modum. *Majori & Burgensibus de Rupella.* Quare non probo Andreæ Tiraquelli doctissimi Jurisconsulti locum illum in tractatu de Retractu. *Rupella*, ait, *est participium Hebraïcum fœminini generis, quod significat mercatricem, sive quæ mercatur.* Indeque vrbi nomen impositum fuisse conjicit. Adde quod in planicie sita est, non in rupe. Hæc quidem mœnibus & portu celeberrima, superiori sæculo celebritatis famam ob mercaturam extendit latissimè. Ea regio vitibus abundat vndique vinum præbentibus satis generosum, quodque exteris largè suppeditari possit. Maritimumque illum tractum, qui ad Santonicam diœcesim pertinet, in-

colæ ipsi *Alnesium* appellant. Cæterùm penè in conspectu Rupellæ major portus est dictus *Caput lignorum*, sive navium eò appellentium, quorum mali è muris conspiciuntur, maximo plerumque numero, vt sylvam in portu se videre putent. Rupella in Alnensi pago, qui ad Santones pertinet, ad Oceanum patenti planicie sita est, quæ paulatim tamen, vt vix sentiatur, ad eam partem quæ Orientem & Septentrionem spectat, assurgit. Mare, quod vrbem alluit alveo facto 600. passuum latitudine porrigitur, & dimidium in longitudinem patens portum efficit, tutissima ad naves tam longas quàm onerarias capiendas statione, in cujus faucibus binæ turres ingentes erectæ sunt lateritio solidiori opere structæ & fenestratæ, in mare prospicientes, tormentis in latera directis firmatæ, quæ vel minimas scaphas subeuntis portus summovere possunt: atque is locus, quod catena vtrinque ducta ingressum à mari prohibeat, *Catena* vulgò appellatur. Præterea à Rupella duobus

CARANTONVS. *Pays d'Aulnis. Chef de bois.*

CARANTONVS. milliaribus *Bosium* promontorium vulgò dictum assurgit, quod sinu vasto, sed à ventis & omni tempestate tuto, cujusmodi sinus eo tractu Baias vocant, imminet, cujusvis classis magnæ capax, turribus iis, quæ portum claudunt, murus mira crassitudine jungitur, rectoque ductu novo & in orbem extructo mediocris magnitudinis propugnaculo occurrit Garrotio communiter dicto, quòd totius alvei imperium obtinere videtur, & pro armamentario vrbi est. *Separi*; autem fluvius in Pictonibus ortus supra Sancti Maxentii oppidum vetus, Gregorio Turonensi notum, muros *Niortii* alluit. Carpiones & lucios habet, à Niortio vsque ad mare Separis troctas alit. de Niortio Philippidos lib. 8.

La Separe, r.

Nyort.

Lodunumque ferax Cereris Bacchique Niortum.

Erat (inquit Gregorius cap. 37. lib. 2.) *in his diebus vir laudabilis sanctitatis Maxentius Abbas reclausus in Monasterio suo ob Dei timorem, intra terminum Pictavensem, cujus Monasterii nomen lectio-*

S. Maxan.

ni non indidi, quia locus ille visitur, hodieque Cellula sancti Maxentii vocatur. Niortium, vt diximus, ob nundinas celebre, vnde magna navigia vsque ad Oceanum, qui septem aut octo leucis abest, feruntur. Deinde Altizia accepto per *Malleacum* insulam facit, vbi Joannes XXII. Episcopatum constituit, & *Vandia*, qui Fontenaium vrbem alluit, versus *Marantium* fluit, id est magni nominis & opulentum mappale, mareque ingreditur duabus leucis à Marantio. Notandumque est paludes spatiosas esse secundùm id flumen. In eadem ora maritima visitur Lucionum vrbs Episcopalis ab eodem Joanne XXII. constituta, ornataque Collegio Canonicorum.

CARANTONVS.

Aultizer.

Maillezins.

la Vande, r.

Fontenay le Comte.

Marãs.

Luçon.

Sequitur *Divi Michaëlis* Archangeli templum, ad mare situm in Pictonibus, totusque ille tractus à *Luciono* sede Episcopali Rupellam vsque olim ab Oceano, vt creditur, inundatus fuit, dein recedente mari apparuere terræ paulatim, & paludes deficcati, propter situs commoditatem ac soli vberta-

S. Michel en l'Er, ou l'Ermitage.

CARANTONVS. tem coli ac frequentari cœperunt. In eo sacellum primò extructum est, peregrinationibus ac religione celebratum, quod postea in amplissimum & locupletissimum monasterium evasit. Quod tamen à prima origine, sive à situ *Eremi* nomen retinuit. Arcis forma quadrata ac præalta contra sagittarum & balistarum machinarum non hodiernarum ictus firmissimo muro, ac turribus paulum ad angulos prominentibus, ac fossa profunda superioribus annis ad oræ maritimæ defensionem ab Anglis vallata. Occurrit postea *Talmuntium*, vbi portus & statio navium est. Deinde maximè arenosa regio sabuloque multo abundans *Ollonia*. Tum *Insula Dei*, ineptè sic appellata ab imperitis. Insula enim ovorum dici debet, quòd sit cooperta ovis Anserum silvestrium. *Herus* etiam insula dependens à Tornachio ad Ararim monasterio oppiduloque. *Nerum* nunc non Heram vulgò *Ner*, id quoque monasterium Nautæ album vocant, quod procul videatur sylva popu-

Les Sables d'Olone.

L'Isle d'Oeuf, autrement l'Isle Dieu.

L'Isle de Ner monstier

lea, cujus frondes vna ex parte albæ sunt, ex altera verò virides; inque ea insula est oppidulum octingentarum casarum, ejusque insulæ circuitus quatuor leucas complectitur, cùm latitudine vnam tantùm habeat. Usuardus: *Hera insula Sancti Philiberti Abbatis, qui post militiam temporalem Christi tyrocinio mancipatus, monasteriorum extitit fundator devotus.* Itaque ad ostium Ligeris perventum est. CARANTONVS.

FINIS.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Th
6070

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN